203

E. XIII d

2/6

CHRISTIANI SCHOLTZ,

BEROLIN. MARCHICI, AULÆ REGIÆ BORUSSICÆ
A CONCIONIBUS SACRIS, ET ECCLESIÆ REFORMATÆ
CATHEDRALIS BEROLINENSIS PASTORIS;

GRAMMATICA ÆGYPTIACA UTRIUSQUE DIALECTI:

QUAM

BREVIAVIT, ILLUSTRAVIT, EDIDIT,

CAROLUS GODOFREDUS WOIDE, S. A. S.

OXONII:
E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.
M DCC LXX VIII.

HONORATISSIMO DOMINO,

FREDERICO, DOMINO NORTH,

ILLUSTRISSIMO UNIVERSITATIS OXONIENSIS

CANCELLARIO,

&c. &c. &c.

CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ OXONIENSI,

ET SPECIATIM PRÆLI PUBLICI

CURATORIBUS DIGNISSIMIS,

HOC OPUS,

EORUM JUSSU INCHOATUM,

BENEVOLENTIA PROMOTUM,

EX ACADEMIÆ MANUSCRIPTIS ADAUCTUM,

ACADEMIÆ MUNIFICENTIA ET SUMPTIBUS

EDITUM;

IN GRATI ANIMI TESTIMONIUM

DAT DICAT DEDICAT,

CAROLUS GODOFREDUS WOIDE.

PRÆFATIO

L. S.

INCREDIBILI diligentia Grammaticam utriusque Dialecti Ægyptiacam XXVIII abhinc annis concinnavit, Vir plurimum Reverendus, Christianus SCHOLTZ, qui mihi tunc etiam prima Linguæ Ægyptiacæ fundamenta per literas amicissime tradidit. Nulla id temporis affulgebat spes, fore, ut Lexicon La CROZII Ægyptiacum ederetur. Hinc Doctissimus hujus Grammaticæ Auctor, singulis vocibus Copticis et Sahidicis in ea allegatis, locum MSti, ubi eæ reperiuntur adjecerat; pluribusque regulas propositas confirmaverat exemplis. Hæc, et reliqua quæ præstitit, ipse Vir eruditissimus in præfatione huic operi præmissa hisce verbis exponit:

" Codices MSS. Bibliothecæ Regiæ Berolinensis Copticos, " partim vetustos, partim admodum curate exaratos, maxima qua " potui diligentia, diu consului, utpote sine quibus Codicibus " MSS. nemo teste Cel. La Crozio (Tom. III. p. 74. Thes. " Epist. La Croz.) solidam cognitionem Linguæ Ægyptiacæ ac" quirere potest. Imo nec minima hujus linguæ punctula, va" riationesque Vocalium et Literarum, neglexi. Regulas Linguæ " Copticæ formavi, partim ex accuratissima inter explicandum " textum Copticum facta collatione Versionis Ægyptiacæ S. Scrip" turæ cum Græco Textu N. T. et Græca Versione τῶν ὁ respectu " V. T. utpote quos Versio Coptica κατα ποδα sequuta est; par" tim ex notatis in Schedis a Celeberrimo La Crozio, et Theo" doro Petræo, Holsato; nec non ex iis, quæ ad quæsita per " Epistolas Celeber. Paulus Ernestus Jablonski aliquoties ad me

" rescripsit.

" reſcripſit. In tradendis hujus linguæ fundamentis hanc me-
" thodum elegi, qua totum opus Grammatices in partem Ety-
" mologicam et Syntacticam commode diſpeſci poteſt. In priori
" parte maximum mihi negotium faceſſit mutatio Vocalium apud
" Coptos, ob accedens vocis incrementum, et ob tonum. Re-
" gulam quamlibet quatuor, tribus, vel ſaltem duobus exemplis
" Biblicis, vel aliquando etiam ex Ægyptiacis Liturgiis Eccleſiæ
" Copticæ depromptis, confirmavi, adductis eorum locis; id quod
" in editis hactenus Grammaticis Copticis maxime deſideratum
" fuit.

" Parti Etymologicæ in fine adjunxi Caput de Dialecto Sahi-
" dica, ſeu Thebaidica, i. e. Superioris Ægypti; et de illa tan-
" tum præcipua, quæque ea præ communi priva habet, notavi, &c.

Sed Opus hoc difficile, et plurium annorum, in majorem excreverat molem, adeo ut duo Volumina in forma 4ta complecteretur. Hoc ut commodo Lectorum Emtorumque brevius facerem, voluerunt celeberrimi Typographiæ Univerſitatis Oxonienſis Curatores, quorum liberalitate et propenſiſſima erga Literas S. voluntate nunc prodit in lucem. Eum in finem alia omittenda, alia brevius erant dicenda. Quæ e Lexico Ægyptiaco typis vulgato addiſci, aut e Grammaticis aliarum linguarum ſupponi, poſſunt; vel quæ bis dicta erant; ea hic omnino præterii. In exemplis, quæ ſæpius recurrunt, unicum tantum; in rebus autem, de quibus dubitari poſſet, plura retinui; imo interdum etiam quædam adjeci.

Duplex autem eſt linguæ Ægyptiacæ Dialectus: Inferioris Ægypti, quæ Coptica plerumque appellatur, ſed potius Memphitica appellanda eſt; et Superioris Ægypti, quæ Dialectus Sahidica, vel Thebaidica, ſive Thebennitica, vocatur. Utramque tractat hæcce Grammatica. *Pars Etymologica*, decem complectebatur Capita. *Primum Caput*, de Literis, in duas diviſi partes; quarum prima de Literis, altera de punctis et ſignis agit. In poſteriore, diſſertationem longiorem de puncto ſuperno paucis, et maxime neceſſariis, regulis comprehendi. Diu deliberavi, num punctum ſuperius, quod Vocalibus imponitur, retinendum, an potius omittendum ſit, cum in Codicibus antiquis MSS. non adhibeatur;

(Gramm.

(Gramm. Ægypt. §. 7.) et in recentioribus ſæpius vel adſit, vel deſit; ita ut eadem vocalis ejuſdem vocis modo cum puncto ſuperſcripto, modo ſine eo, appareat. Retinui id tamen, ubi illud plerumque adſcriptum reperii. Quoad formam etiam hujus puncti ſuperni, ſuſpenſus hærebam. Sahidici Codices MSS. ſolent longiorem vel breviorem lineolam [— -], et Coptici punctum [.], vel accentum gravem [`] adhibere. Et hanc ego methodum in primis Grammaticis plagulis ſecutus ſum. Sed cum hæc diverſitas Typothetæ laborem faceſſeret; et *lineola* illa *ſuperior* facile cum *abbreviationis linea*, quæ vocibus contractis, e. g. ⲓ̅ⲥ̅, ⲓⲏⲥⲟⲩⲥ, ⲑ̅ⲥ̅, ⲑⲉⲟⲥ, imponitur, poſſet confundi: in ſequentibus Grammaticæ paginis, tum ſuper Voces Copticas, tum etiam ſuper Sahidicas, loco puncti aut lineæ ſuperioris, accentum gravem poſui; quod jam a Wilkinſio in N. T. et Pentateucho factum eſt, et aliquoties etiam in Codice MS. Aſkewano admiſſum eſſe video.

Secundum Caput, de Syllaba, et tertium de Accentu, omiſi, quod ea vel ex arbitrio noſtro, vel e pronuntiatione Coptitarum hodierna, unice penderent.

Quartum Caput, de Nomine, in ſeptem diſtinxi capitula, quæ Derivativa, Articulos, Genera, Pluralia, Caſus, Comparationem, et Numeralia pertractant.

Caput Quintum, de particulis, in tres diviſi partes, quæ Pronomina; (Infixa atque Suffixa;) et Adverbia, Præpoſitiones, Conjunctiones, et Interjectiones exponunt. Catalogum Pronominum perſonalium contraxi, et in catalogo Particularum Ægyptiacarum, Adverbia, Præpoſitiones, Conjunctiones, et Interjectiones tantummodo retinui, omiſſis Præformantibus Verborum, et vocibus Græcis.

Caput Sextum, quod mihi eſt decimum tertium, Verbum attingit; atque eo capite omnia, quæ de Verbis obſervanda ſunt, complexus ſum.

Caput Septimum verba imperfecta longius proſequebatur: ſed hæc ego ad exiguum reducta numerum præcedenti inſerui capiti, et fere omnia e doctrina verborum abundantium explicavi.

Caput Octavum, de Verborum mutatione differens, capite ſuperiori undecimo, quod verborum affixa tractat, comprehendi;

et ea, quæ conjunctiones Verbo præmittendas spectant, præcedenti capite de Verbo annotavi.

Caput Nonum Figuras Etymologicas explicabat; sed ita prioribus capitibus necessarias intexui regulas, ut integrum hoc caput nunc possit deesse.

Caput Decimum Dialectum Sahidicam explanabat. Hoc ego integrum diffinxi, multum adauxi, et singulis præcedentibus Capitibus regulas, et exempla Sahidica addidi, ut sic convenientia ac differentia Dialectorum patesceret; et quæ vel Dialectus Inferioris Ægypti, vel Superioris, priva haberet, uno adspectu posset animadverti. Hoc licet valde esset laboriosum; attamen et brevius, et lectoribus minime injucundum fore existimo. Adjecerat Reverendus Scholtz huic capiti catalogum differentiæ, quæ inter Vocales et Consonantes duarum Ægypti Dialectorum deprehenditur, qui insigniter adaugeri potest. Sed commodius hæc comparatio instituetur, ubi in Lexico Sahidico, brevi typis vulgando, singulis Vocibus Sahidicis Vox Coptica adjicietur.

Syntactica Pars Grammatices XVIII capita continebat, quæ ego XIII capitulis complexus sum. Aderant tantummodo exempla Dialecti Inferioris Ægypti, quibus ego etiam exempla Dialecti Superioris Ægypti ubique addidi, et tandem Operi huic indices novos adjeci.

In perficiendo eo usus sum Pentateucho, et N. T. Coptico a Wilkinsio typis edito, et variis Codicibus MSS. typis nondum exscriptis.

E Codice MS. in Bibliotheca St.Germanensi Parisiis adservato, qui est inter Orientales LI^mus^, et Officium Hebdomadis Sanctæ inscribitur; quædam loca Jesaiæ, Jeremiæ, Jobi, Proverbiorum, Syracidis et Sapientiæ Salomonis, hic allegata reperies.

E Bibliotheca Regia Parisiensi habui integram Ezechielis Prophetiam, et ex eadem Bibliotheca Danielem cum Prophetis minoribus.

E Bibliotheca Regia Berolinensi Apographum Psalterii nactus sum, manu Venerandi Scholtzii accurate descriptum.

E Bibliothecæ Bodleianæ Psalterio, quod est inter Huntingtonianos MSS. Codex CI^mus^, descripsi quædam Cantica S. Scripturæ,

turæ, quæ calci Psalmorum adscribi solent; atque ex iis etiam interdum exempla produxi. Sed a Liturgiis et Libris Ecclesiasticis, e. g. Psalmodia, Theotokia &c. omnino abstinui, quia eos recentiores versione Ægyptiaca Bibliorum esse judico; et præterea, paginæ meorum Apographorum a paginis Originalium, in variis Bibliothecis asservatorum, differunt.

In Dialecto Superioris Ægypti usus sum Actis Apostolorum Sahidicis MSS. qui Codex est inter MSS. Huntingtonianos CCCXCIV^tus; atque cum hoc Originali contuli Apographum, quod in usum La Crozii Wassius olim descripserat, (Thesaur. Epist. La Crozian: T. I. pag. 203, 204, 360. T. III. p. 188.) Wassiique errores inde correxi. Ex eodem MS. larga ex Epistola secunda Petri fragmenta, tres Epistolas Johannis, et integram fere Epistolam Judæ, descripsi.

Ex eadem Bibliotheca Bodleiana descripsi Codices MSS. inter Huntingtonianos III^um, IV^tum, V^tum, qui loca S. Scripturæ V. et N. T. in Ecclesiis prælegi solita, continent.

Interdum etiam e MSto inter Huntingtonianos CCCXCIII^tio, qui de mysteriis Literarum Græcarum inscribitur, exempla desumsi.

Usus sum præterea Codice MS. præstantissimo Doctissimi et mihi semper carissimi, Antonii Askew, M. D. et S. R. ac Collegii Medici Socii, præmatura morte orbi erudito erepti, qui Codex *Fidelis Sapientia* inscribitur. Ac tandem Codicem MS. Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, qui est inter Copticos XLIV^tus, adhibui. Hic Codices hos MSS^tos, qui non sine multo labore et temporis dispendio, describi, conferri, perlegi, et ad illustrandam Grammaticam adhiberi potuerunt, nominasse sufficiat; cum descriptio eorundem Supplemento Lexici Coptici, et Lexico Sahidico, typis vulgando, destinata sit.

In brevianda autem hacce Grammatica usus sum ea Libertate, quam et a Celeberrima Oxoniensium Universitate, et a Doctissimo hujus Operis Auctore, impetravi, ut ea quæ maxime essent necessaria, et exemplis obviis comprobarentur, tantummodo retinerem; quæ cum exemplis in MSS. repertis non omni ex parte convenirent, vel limitarem, vel omitterem; et quæ in lectione

MSSrum

MSS[rum] a nemine adhuc examinatorum notatu digna occurrerent, loco ſuo infererem. Nihil temere mutavi; et ſi de quibuſdam ſubdubitarem, quorum contrarium nondum certo conſtaret, ea ita, uti illa repereram, reliqui: e. g. §. 10. n. 3. de puncto ſuperno Spiritum aſperum denotante; §. 5, 6. de antiquo numero et ordine literarum Ægyptiacarum, qua de re in Diſſertatiuncula de Lingua Ægyptiaca ſententiam meam declaravi; et §. 90, 94. pag. 83 et 90. de ϥ et c, præformantibus Præteriti, quæ ego præſenti ſoli mallem vindicare.

Petræus et La Crozius pauca, Jablonskius plura, Grammaticam Ægyptiacam ſpectantia, annotaverat, quæ Venerandus Scholtzius magna accuratione a ſuis diſtinxerat. Hæc ego brevitatis gratia ſemper obſervare non potui: et ſi vel de meis quædam adjicerem, vel a Viris his Doctiſſimis opinione differrem; nullam hujus rei intuli mentionem. e g. La Crozius (Theſ. Epiſt. T. III. p. 173.] exiſtimat, articulum ϕ ſemper adhiberi, ſi vox a Syllaba ογ exordiatur: et Jablonskius in notis MSStis ad Blumbergii Grammaticam Copticam, ϩⲁ ante pluralia adhiberi poſſe negat. Ego exempla contrarium probantia §. 18, 33, 34. adduxi, ſuppreſſo horum Virorum nomine, ſuppreſſaque eorum ſententia. Non enim Virorum, quos veneror, et a quibus me plurimum didiciſſe lubens confiteor, cenſorem agere, eorumve meritis quidpiam derogare; ſed verum inveſtigare, et inventis, ſi fieri poſſet, quædam addere volui. Vale. Londini Calendis Julii Anni 1777.

PARS PRIMA

GRAMMATICÆ ÆGYPTIACÆ.

CAPUT I.

DE LITERIS.

§. 1. Ægyptii habent XXXII Literas, quas ſequens Tabula exhibet.

Figura.	Nomen.		Poteſtas.	Numerus.	Pronuntiatio hodierna.
ⲁ	Alpha	ⲁⲗⲫⲁ	α	1	*a*
ⲃ	Vida	ⲃⲏⲧⲁ	β	2	uti U, V, W, in ter duas Vocales.
ⲅ	Gamma	ⲅⲁⲙⲙⲁ	γ	3	
ⲇ	Dalda	ⲇⲉⲗⲧⲁ vel ⲇⲉⲗⲇⲁ	δ	4	
ⲉ	Ei	ⲉⲓ	ε	5	uti, *a*
ϛ	So		ϛ	6	
ⲍ	Zida	ⲍⲏⲧⲁ	ζ	7	
ⲏ	Hida	ϩⲏⲧⲁ	η	8	uti *a* ante conſonant. Uti *i* ante vocalem: ⲏⲓ uti *ai*; ⲏⲟⲩ uti *au*

Figura.	Nomen.		Potestas.	Numerus.	Pronuntiatio hodierna.
ⲑ	Thita	ⲑⲏⲧⲁ	ϑ	9	uti ⲧ
ⲓ	Jauda	ⲓⲱⲧⲁ	ι	10	uti *j* ante ⲏ; ⲓⲏⲟⲩ, *jau*
ⲕ	Kabba	ⲕⲁⲡⲡⲁ	κ	20	uti ⲕⲉ ante ⲏ
ⲗ	Lauda	ⲗⲁⲩⲗⲁ	λ	30	uti *l*
ⲙ	Mi	ⲙⲉ	μ	40	uti *am*
ⲛ	Ni	ⲛⲉ	ν	50	uti *an*
ⲝ	Exi	ⲝⲓ	ξ	60	
ⲟ	O	ⲟⲩ	ο	70	uti *u*
ⲡ	Bi	ⲡⲓ	π	80	uti *bi*
ⲣ	R	ⲣⲱ	ρ	100	uti *r*
ⲥ	Sima	ⲥⲩⲙⲙⲁ vel ⲥⲓⲙⲁ	σ	200	uti *ſ*, uti *is* poſt ⲧ
ⲧ	Dau	ⲧⲁⲩ	τ	300	uti *d*
ⲩ	He	ϩⲉ vel ϩⲩ	υ	400	in initio uti *b*; in medio uti *f*; cum puncto Superno uti *ib* vel *eb*
ⲫ	Phi	ⲫⲓ	φ	500	
ⲭ	Chi	ⲭⲓ	χ	600	uti *ſch* Germanorum, vel *ſh* Anglorum
ⲱ	Au	ⲱ	ω	800	uti *o* longum ante vocalem, uti *u* ante conſonant.

ϣ	Schei	ϣⲉⲓ	ש Heb.	900	uti *iſch* German. vel *iſh* Anglor.
ϥ	Phei	ϥⲉⲓ	f	90	uti *f*, et cum puncto ſuperno *if*
ϧ	Chei	ϧⲉⲓ	kch		uti Arabicum خ; uti Germanorum *ch*
ϩ	Hori	ϩⲟⲣⲓ	h		uti *h*
ϫ	Genga	ϫⲁⲛϫⲓⲁ	ج Arabicum, vel *g* Gallorum in *Gique*: vel Gj; vel uti *th* blæſum Anglorum.		Ante ϣ uti *is*; ante vocalem uti *j*, Jota.
ϭ	Skima	ϭⲓⲙⲁ	σκ		uti Danorum *ſk*. Uti Germanorum *ſch*, vel Anglorum *ſh*.
ϯ	Dei	ϯⲉⲓ	ti		uti *di*
ⲯ	Ebſi	ⲯⲓ	ψ	700	uti *bs*

§. 2. Nomina Literarum Ægyptiacarum, quæ etiam in Alphabeto Græco occurrunt, et hic Charactere Coptico exprimuntur, deſumta ſunt e Codice MSS. Bibliothecæ Bodleianæ, n. 393. e Huntingthonianis, qui de Myſteriis literarum Græcarum tractat.

§. 3. De pronuntiatione hodierna Literarum Copticarum vide M. Theodorum Petræum in Pſalmo primo Davidis Coptice, Arabice et Latine, in dimidia plagula 1659, Londini, typis * vulgato, cui pronuntiationem Coptitarum hodiernam literis Latinis hoc pacto ſubjecit:

* Thomæ Roycroft.

PSAL. I.

1. ⲱ̀ⲟⲩⲛⲓⲁⲧϥ ⲙ̀ⲡⲓⲣⲱⲙⲓ ⲉ̀ⲧⲉ ⲙ̀ⲡⲉϥϣⲉ ϧⲉⲛ ⲡ̀ⲥⲟϭⲛⲓ [chni
ouniádf ambirómi áda ambàſſcha chân ibſóſchni vel ebſuſ-

ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓⲁ̀ⲥⲉⲃⲏⲥ ⲟⲩⲇⲉ ⲙ̀ⲡⲉϥⲟ̀ϩⲓ ⲉ̀ⲣⲁⲧϥ ϩⲓⲫ̀ⲙⲱⲓⲧ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓ-
andáni aſawâs úda ambàſóhi arádf hiibmoît andáni-

ⲣⲉϥⲉⲣⲛⲟⲃⲓ ⲟⲩⲇⲉ ⲙ̀ⲡⲉϥϩⲉⲙⲥⲓ ϩⲓⲧⲕⲁⲑⲉⲧⲣⲁ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓⲗⲟⲓⲙⲟⲥ.
rafarnówi úda ambàſhámſi hidkátadra andánilóimos.

2. ⲁⲗⲗⲁ ⲉ̀ⲣⲉ ⲡⲉϥⲟⲩⲱϣ ϣⲟⲡ ϧⲉⲛ ⲫ̀ⲛⲟⲙⲟⲥ ⲙ̀ⲡ̅ⲟ̅ⲥ̅
álla ara bàſuoòch ſchob chân ibnomos amibſcheûs

ⲉϥⲉ̀ⲉⲣ ⲙⲉⲗⲉⲧⲁⲛ ϧⲉⲛ ⲡⲉϥⲛⲟⲙⲟⲥ ⲙ̀ⲡⲓⲉ̀ϩⲟⲟⲩ ⲛⲉⲙ ⲡⲓⲉ̀-
afaàr maladàn chan baſnómos ambiahúü nam bia-

3. ϫⲱⲣϩ. ⲟⲩⲟϩ ⲉϥⲉ̀ⲉⲣ ⲙ̀ⲫⲣⲏϯ ⲙ̀ⲡⲓϣϣⲏⲛ ⲉⲧⲣⲏⲧ ϧⲁⲧⲉⲛ ⲛⲓϥⲟⲓ
jorh. uòh afäàr amibrádi ambiſchíchàn adrâd chadàn nifoï

ⲙ̀ⲙⲱⲟⲩ ⲫⲏⲉⲧⲛⲁϯ ⲙ̀ⲡⲉϥⲟⲩⲧⲁϩ ϧⲉⲛ ⲡ̀ⲥⲏⲟⲩ ⲛ̀ⲧⲏⲓϥ
ammòù biadnádi ambafudàf • chân ibſâu andâif

ⲟⲩⲟϩ ⲟⲩϫⲱⲃⲓ ⲛ̀ⲧⲁϥ ⲙ̀ⲡⲉⲥϥⲟⲣϥⲉⲣ ϩⲱⲃ ⲛⲓⲃⲉⲛ ⲉ̀ϣⲁϥⲁⲓⲧⲟⲩ
uóh ujóûvi andàf annasfurfâr hûb niwân aſchafâidu

4. ϣⲁϥϯⲙⲁϯ ⲛ̀ϧⲏⲧⲟⲩ. ⲡⲁⲓⲣⲏϯ ⲁⲛ ⲛⲓⲁ̀ⲥⲉⲃⲏⲥ ⲡⲁⲓⲣⲏϯ
ſchafdimádi anchádu. bâirádi an niaſawâs bâiradi

ⲁⲛ ⳾ ⲁⲗⲗⲁ ⲙ̀ⲫⲣⲏϯ ⲙ̀ⲡⲓⲣⲏⲓⲥⲓ ⲉ̀ϣⲁⲣⲉ ⲡ̀ⲑⲏⲟⲩ ⲛⲉϩϥ ⲉ̀ⲃⲟⲗ
an. álla amibrádi ambirâiſi áſchara ibtâù nahf aùùl

5. ϩⲓϫⲉⲛ ⲡ̀ϩⲟ ⲙ̀ⲡⲕⲁϩⲓ ⳾ ⲉⲑⲃⲉ ⲫⲁⲓ ⲙ̀ⲡⲉⲛⲓⲁ̀ⲥⲉⲃⲏⲥ ⲧⲱⲟⲩⲛⲟⲩ
hisjàn ibhù amibkáhi. atwa bâi annàniaſawâs doúnu

ϧⲉⲛ ϯⲕⲣⲓⲥⲓⲥ ⳾ ⲟⲩⲇⲉ ⲛⲓⲣⲉϥⲉⲣⲛⲟⲃⲓ ϧⲉⲛ ⲡ̀ⲥⲟϭⲛⲓ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲓ-
chan dikrisîs: úda nirafarnúwi chân ibſuſchni andani-

6. ⲑ̀ⲙⲏⲓ ⳾ ϫⲉ ⲡ̀ⲟ̅ⲥ̅ ⲥⲱⲟⲩⲛ ⲙ̀ⲫ̀ⲙⲱⲓⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓⲑ̀ⲙⲏⲓ ⲟⲩⲟϩ
itmàî. sjâ ibſcheûs ſoün amibmoid anda niitmâi uoh

ⲫ̀ⲙⲱⲓⲧ ⲛ̀ⲧⲉ ⲛⲓⲁ̀ⲥⲉⲃⲏⲥ ϥⲛⲁⲧⲁⲕⲟ.
ibmôid anda niaſauâs iſnádakù.

Ludolphus etiam in Hist. Æthiop. p. 563, et in Gram. Æthiop. p. 183, pronuntiationem Orationis Dominicæ hodiernam Coptorum literis latinis expressit.

§. 4. Ordo hic Literarum Copticarum reperitur in Grammaticis Copticis ab Athanasio Kirchero in *Lingua Ægyptiaca restituta* editis, et convenit cum Alphabeto, quod MS° Bibliothecæ Regiæ Berolinensis annexum est; nisi quod hic ⲯ ponatur inter ⲭ et ⲱ. Idem ordo observatur in Precibus Copticis MSS in 12mo, ubi singulæ Paragraphi ab alia Alphabeti litera inchoant. In multis precibus invenitur tantum Alphabetum Græcorum, in quo ⲯ inter ⲭ et ⲱ ponitur; in quibusdam tamen precibus septem reliquæ literæ, Ægyptiis propriæ, hoc ordine sequuntur: ϣ, ϥ, ϧ, ϩ, ϫ, ϭ, ϯ.

§. 5. Ex potestate numerica Literarum colligere licet, ordinem earum hunc fuisse:

ⲁ,	ⲃ,	ⲅ,	ⲇ,	ⲉ,	ⲋ,	ⲍ,	ⲏ,	ⲑ,	ⲓ,	ⲕ,	ⲗ,	ⲙ,	ⲛ,	ⲝ,	ⲟ,	ⲡ,	ϥ,	ⲣ,
1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	20,	30,	40,	50,	60,	70,	80,	90,	100,

ⲥ,	ⲧ,	ⲩ,	ⲫ,	ⲭ,	ⲯ,	ⲱ,	ϣ,	ϧ,	ϩ,	ϫ,	ϭ,	ϯ.
200,	300,	400,	500,	600,	700,	800,	900.					

§. 6. Alphabetum Vetus Ægyptiorum XXV Literas complectebatur. [Vide Plutarch. *De Isid. et Osir.* p. 374.] ⲅ, ⲇ, ⲍ, ⲝ, ⲯ, ⲋ, ϯ, sunt septem literæ in hodierno Alphabeto Coptorum, quibus demtis remanent 25 antiquæ. *La Croze* et *Jablonski.*

§ 7. Forma, ordo, et potestas literarum Dialecti Inferioris Ægypti, quam Copticam appellamus, conveniunt cum literis Dialecti Sahidicæ, seu Superioris Ægypti; nisi quod Dialectus Sahidica literam ϧ plane respuat. In MSS Codicibus, quos nunc habemus, literæ Copticæ sunt rotundiores literis Sahidicis.

§. 8. De literis, earumque pronuntiatione in specie notandum:

ⲁ, pronuntiatur, uti *a*. e. g. ⲁⲇⲁⲙ, ⲁⲃⲣⲁⲁⲙ.

ⲃ, uti ⲃ, in ⲃⲟⲉⲥ, *Βοόζ*, Mat. i. 5. Item fere, uti *v* vel *f*, Gen. x. 2. ⲓⲱⲃⲁⲛ, *Ἰωυάν*, Act. ii. 25. ⲇⲁⲩⲓⲇ, *Δαβίδ*. Hinc Joel. i. 4. ii. 25. Nahum. ii. 15. ϥⲣⲟⲩⲭⲟⲥ, *Βροῦχος*, male scribitur, pro ⲃⲣⲟⲩⲭⲟⲥ, quod exstat Nahum. ii. 16: et in MS. Codice Sahidico, n. 3. e Huntingthonianis ⲁϥⲣⲁϩⲁⲙ aliquoties vitiose occurrit, pro ⲁⲃⲣⲁϩⲁⲙ.
Cum ⲡ permutatur, Ps. xliv. 1. ϣⲉⲃϣⲱⲃ, et v. 5. ϣⲉⲡϣⲟⲡ.

ⲅ, non

ⲅ, non adhiberi in Dialecto Coptica nisi in vocibus peregrinis notavit Jablonski, Differt. VII. de Terra Gosen. Et La Crozius in Lexico observavit ⲅ tantum scribi in voce ⲁⲅⲱ, seu ⲁⲕⲱ, pernicies, et in voce ⲅⲁⲗⲗⲟⲩ, vespertilio, Lev. xi. 19. (ubi vero Wilkinsii editio habet ⲭⲁⲗⲭⲟⲩ. et MS. Oxon. Hunt. 33. ⲅⲁⲗⲭⲟⲩ, et Deut. xiv. 18. uterque ⲭⲉⲗⲗⲟⲝ.)

Coptice loco ⲕ scribitur Ezech. xxv. 16. ⲛ̀ⲣⲱⲙⲓ ⲛ̀ⲅⲣⲏⲧⲏ, κρῆτας, viros Cretæ. Joel. ii. 26. καμπτ, ⲧⲅⲁⲙⲛⲓ. Nahum. iii. 4. ⲛⲓⲫⲁⲣⲙⲁⲅⲟⲥ, φάρμακοι. &c.

Sahidice pro ⲕ in medio et fine vocis sæpius, in initio autem non nisi in vocibus peregrinis adhibetur, e. g. ⲁⲛ̄ⲕ et ⲁⲛ̄ⲅ, ego; ⲛ̄ⲅϥⲓ et ⲛ̄ⲕϥⲓ, fer.

ⲇ, in utraque Dialecto in vocibus peregrinis tantum admittitur, et est litera priscis Ægyptiis prorsus inusitata. [Jablonski in Panth. Ægypt. P. I. L. II. c. 7. p. 274.] ⲧ, ejus loco adhibuerunt, e. g. Apocal. xxi. 14. pro χαλκηδὼν est ⲭⲁⲣⲕⲉⲧⲟⲛ.

ⲉ, videntur paulo obscurius pronuntiasse, ita ut ad sonum τῦ α accederet. Certe Græci sæpenumero, quando voces Ægyptiacas adferunt, et explicant, ⲉ Ægyptiorum in α mutant, quod plurimis exemplis probari potest. Jablonski.

Hinc ⲉⲙⲁⲣⲧⲓⲁⲥ pro ἁμαρτίας, ⲕⲉ pro και passim in Liturgiis; et Gen. xlvi. ⲣⲁⲙⲙⲁⲥⲏ pro ῥαμεσσῆ scribitur. In Codice St. Germanensi Danielis MS. ⲁⲛⲉϩ, pro ⲉⲛⲉϩ, sæpius, sed male ponitur, quæ Sphalmata e pronuntiatione hodierna Coptitarum orta sunt.

Loco αι scribitur Matth. i. 5. Ἰεσσαί, ⲓⲉⲥⲥⲉ: sic pro αἰὼν passim ⲉ̀ⲱⲛ. Loco ο occurrit Matth. i. 5. βοὸζ, ⲃⲟⲉⲥ. Epsilon ⲉⲓ vocabatur apud veteres Græcos [Plutarchus περὶ τῦ ει:] ⲉⲓ etiam vocatur in Myst. Literar. Græcarum Sahidico, MS. Oxoniensi.

ⲋ, esse tantum notam numericam, et in scribendo semper ⲥⲧ adhiberi observavit Jablonski. Obtinet hoc in utraque Dialecto. In Precibus Copticis MStis in 12mo, ubi singulæ paragraphi a singulis Alphabeti Literis incipiunt, ⲋ frequentissime occurrit, et semper numerum *sex*, nunquam autem literam denotat.

ⲍ, tantum in vocibus peregrinis occurrit, e. g. ⲍⲁⲣⲁ, ⲟⲍⲓⲁⲥ, ⲍⲟⲣⲟⲃⲁⲃⲉⲗ, &c. Alias est nota numerica, et in Precibus Copticis MSS. jam citatis semper *septem* designat. Apocal. xxi. 20. ⲧⲟⲡⲁⲧⲓⲟⲛ pro τοπάζιον exstat.

ⲏ, in

ⲏ, in vetuſto Græcorum Alphabeto cum adſpiratione pronuntiabatur, uti Athenæus in Deipnoſophiſt. L. 9. c. 12. teſtatur. In Myſterio Lit. Græc. Sahidico MSS. etiam ϩⲏⲧⲁ appellatur. Matth. i. 5. ⲣⲏⲭⲁⲃ pro Ῥαχὰβ reperitur.

ⲑ, ut ϑ, in ⲑⲁⲙⲁⲣ, ⲣⲟⲩⲑ. Matt. i. 3, 5. Rariſſime in Dialecto Sahidica occurrit, quæ ejus loco ⲧ adhibet. Admittitur tamen ſæpius in hacce Dialecto uti compendium ſcribendi pro ⲧϩ, e. g. ϩⲉ modus, cum articulo fæminino eſt ⲧϩⲉ hic modus, et per compendium ſcribendi ⲑⲉ.

ⲓ, uti ι, in ⲇⲁⲩⲓⲇ, Δαβὶδ, ⲓⲥⲁⲁⲕ. Matth. i. 2. uti jota in ⲓⲉⲥⲥⲉ. Matth. i. 5. et ϯⲓⲟⲩⲇⲉⲁ.

Scribunt etiam ⲡⲓⲧⲁⲙⲓⲟⲛ pro ταμεῖον. Matth. xxiv. 26. ⲉⲧⲓⲛ pro αὐτῶν. Pſ. ii. 8. ⲭⲣⲓⲁ pro χρεία. Marc. xi. 3. ⲇⲓⲡⲛⲟⲛ pro δεῖπνον. Ibid. xii. 39. Et mira eſt apud ſcribas Coptitarum inter ⲓ, ⲉ, ⲏ, ⲩ, et ⲉⲓ, in vocibus Græcis confuſio.

ⲕ, uti κ, in ⲓⲥⲁⲁⲕ. Interdum pro ⲅ ponitur. Hiſtoria Beli Babyl. 2. ⲁⲥⲧⲓⲁⲕⲏⲥ pro Aſtyages. Hoſ. x. 4. ϩⲛⲟⲩⲁⲕⲣⲟⲥⲑⲉⲛ, ἀγρωστις. Jer. viii. 19. ⲟⲩⲕⲗⲩⲡⲧⲟⲛ, γλυπτόν. Sahidice ſæpiſſime cum ⲅ permutatur, vide ⲅ. Coptice etiam cum ⲭ permutatur, e. g. ⲕⲛⲁⲛⲁⲩ et ⲭⲛⲁⲛⲁⲩ, videbis.

ⲗ, uti λ, e. g. ⲥⲁⲗⲙⲱⲛ. Matth. i. 5.

ⲙ, uti μ, e. g. ⲁⲃⲣⲁⲁⲙ. Matth. i. 5.

ⲛ, uti ν, e. g. ⲁⲙⲓⲛⲁⲇⲁⲃ. Matth. i. 4. Gen. x. 6. Μεσραΐμ, ⲛⲉⲥⲧⲣⲉⲙ, ſcribitur (niſi ſit Sphalma.)

ⲝ, in vocibus peregrinis, e. g. ⲁⲣⲫⲁⲝⲁⲇ. Luc. iii. 36. raro in vocibus Ægyptiacis adhibetur. Coptice tamen ⲑⲟⲩⲝ et ⲑⲟⲩⲕⲥ, ⲗⲓⲝ et ⲗⲟⲝ, et Sahidice ⲗⲟⲩⲝ et ⲝⲟⲩⲣ per ⲝ ſcriptum reperitur. In Precibus Copticis MSS. ſæpe citatis, ſi Paragraphus a ⲝ incipere debeat, adhibetur ⲕⲥ, e. g. ⲕⲥⲱⲟⲩⲛ noſti, et ⲕⲥⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ benedictus tu es, ſcribuntur ⲝⲱⲟⲩⲛ et ⲝⲙⲁⲣⲱⲟⲩⲧ, ut ordo Alphabeti ſervetur. Sic Grammaticus antiquus, fol. 155. MSti Pariſ. 44. in Bibl. Regia, ⲝⲟⲗⲥⲉⲗ pro ⲕⲥⲟⲗⲥⲉⲗ ſcribi annotat.

ⲟ, uti ο, ⲥⲟⲗⲟⲙⲱⲛ. Matth. i. 7. Oſiris ſecundum Hellenium apud Plutarchum in libro de Iſide et Oſiride a Sacerdotibus pronuntiabatur,

tur, ut ⲩⲥⲓⲣⲓⲥ. Jablonski Diſſ. VII. de Terra Goſen, p. 80. Apud Euſebium in Præpar. Evang. idem numen dicitur Ἴσιρις.

ⲡ, uti π, in ⲡⲁⲩⲗⲟⲥ. Rom. i. 1. Coptice ⲡ et ⲫ permutari poſſunt, quod fit in articulo ⲡⲓ et ⲫ.

ⲣ, uti ρ, in ⲫⲁⲣⲉⲥ. Matth. i. 3. Interdum pro ⲗ ponitur, e. g. Apoc. xxi. 19. ⲭⲁⲣⲕⲉⲧⲟⲛ pro ⲭⲁⲗⲕⲉⲇⲱⲛ.

ⲥ, uti σ, e. g. ⲓⲥⲁⲁⲕ. Matth. i. 2. Interdum ut ζ. Matth. i. 5. ⲃⲟⲉⲥ, βοὸζ, ⲥⲉⲣⲟⲩⲭ, ζαρὲχ. Luc. iii. 35. Petræus vult pronuntiatum fuiſſe, uti ç Gallorum in voce *garçon.*

ⲧ, uti τ, in ⲓⲱⲥⲁⲫⲁⲧ, Ἰωσαφάτ. Matth. i. 8: uti δ. Lit. Baſ. §. 295. ⲁⲃⲃⲁ ⲧⲁⲛⲓⲉⲗ pro ⲇⲁⲛⲓⲉⲗ. Jeſ. lv. 12. ⲛⲟⲩⲕⲗⲁⲧⲟⲥ, κλάδοις. Jerem. viii. 21. ⲅⲁⲗⲁⲁⲧ, γαλαάδ.

ⲩ, uti υ, in ⲃⲁⲃⲩⲗⲱⲛ. Matth. i. 11. Nulla vox utriuſque Dialecti ab ⲩ incipit, ſed in medio et fine ſæpiſſime cum alia Vocali, nunquam autem ſola, occurrit. Scribitur etiam ⲕⲩⲣⲩⲝ pro κήρυξ; ⲁⲗⲏⲑⲩⲛⲟⲛ pro ἀληθινόν; ⲇⲩⲛⲁ pro δῦνα, &c.

ⲫ, uti φ, e. g. ⲫⲁⲣⲉⲥ, φάρες. Matth. i. 3. In Dialecto Sahidica non adhibetur niſi in vocibus peregrinis, et uti compendium ſcribendi, e.g. ϩⲟ facies, cum articulo maſculino ⲡϩⲟ, et per compendium ⲫⲟ.
Ubi Coptice ⲫ occurrit, Sahidice ⲡ ponitur, e. g. ⲫⲉ cœlum, Coptice; ſed Sahidice ⲡⲉ.

ⲭ, uti χ, e. g. ⲁⲭⲁⲍ, ἄχαζ. Matth. i. 9. Apud Coptos frequentatur; et interdum cum ϩ permutatur, e. g. ⲭⲱⲛ et ϩⲱⲛ eſt occultare. Interdum loco ⲕ ponitur. Vide ⲕ. Sahidice tantum in vocibus peregrinis admittitur. Ejus loco adhibetur ⲕ, e. g. ⲭⲁ, et ⲭⲱ eſt ponere, Coptice; Sahidice ⲕⲁ, et ⲕⲱ.

ⲱ, uti ω, in ⲓⲁⲕⲱⲃ. Matth. i. 2. Sahidice ſæpe ⲟⲟ pro ⲱ ſcribitur, e. g. ϣⲟⲟⲡ et ϣⲱⲡ eſſe.

ϣ, uti ש Hebræorum, in ϣⲉⲙⲙϣⲓ, שמש. Aliquando χ Græcorum per ϣ exprimitur, e. g. Lit. Baſ. §. 297. ⲁⲣϣⲓⲙⲁⲛⲇⲣⲓⲧⲏⲥ pro Archimandrites.

ϥ, uti *f*. Forma ejus, et numerica poteſtas reſpondet τῷ κόππα Græcorum.

ϧ, Apud

ϧ, Apud Coptos est frequens, et a Scribis male interdum cum ⲭ permutatur, e.g. ⲉⲣⲭⲟⲧ, Jes. liii. 10. alias ⲉⲣϧⲟⲧ. Sed Sahidice nunquam adhibetur. Ejus loco ponitur ϩ, e.g. ϧⲙⲟⲙ calere, Coptice: Sahidice ϩⲙⲟⲙ, ab Hebraico חמם, et Arabico حمّ.

ϩ, pro Spiritu aspero ponitur in utraque Dialecto, e.g. ϩⲟⲡⲱⲥ, ϩⲟⲡⲗⲟⲛ, ϩⲓⲛⲁ, ἵν, ϩⲓⲛ, Hin. Num. xviii. 7. &c.

ϫ, pro *g*, ponitur in voce ⲧⲉϫⲓ, Tegius. Bonjour Exerc. in Mon. Copt. p. 4. et Apoc. xviii. 10. ⲙⲁⲣϫⲁⲣⲓⲧⲏⲥ pro μαργαρίτης: Genes. xlvii. 10, 27. ϫⲉⲥⲉⲙ pro γεσεμ, Deut. xxiv. 6. ϫⲁⲓ pro γαι, nomen oppidi. Hanc literam Græci accurate exprimere non possunt, modo per γ, modo per ϑ, modo per σ, modo per χ, modo per τ indicant. Vide Jablonski Differt. VII. de Terra Gosen, p. 81—83. e.g. ⲉϫⲱⲣϩ, ἀϑωρ et ἀτὰρ (hæc derivatio videtur dubia. W.) ϫⲉⲙⲛⲟⲩϯ Sebennythus, nomen urbis: ϫⲱϫⲉⲙ, γωσεν, i.e. terra Herculis: ⲙⲉⲗⲭⲓⲥⲉⲇⲉⲕ sæpius in MS. Fidelis Sapientiæ Sahidico, pro *Melchisedek*.

Hebræi eam per צ exprimunt. Ps. lxxviii. 13, 43. צען vertitur ϫⲁⲛⲏ, et nomen Ægyptiacum Pharaonis ϫⲱϥ ⲛ̀ⲧⲉⲛⲉⲛⲉϩ, Hebræi verterunt צפנת פענח Genes. xli. 45.

ϭ aliquando cum ϫ permutatur. Sic ϭⲁⲙⲟⲩⲗ, Camelus. Gen. xxiv. 10. alias sæpissime ϫⲁⲙⲟⲩⲗ. Sahidice frequentissime ϭ pro Coptico ϫ adhibetur, e.g. ϫⲓⲛ, nota Gerundii, Sahidice ϭⲓⲛ; ⲛ̀ϫⲉ, nota Nominativi, Coptica, Sahidice ⲛ̀ϭⲓ.

Aliquando cum ϣ permutatur, e.g. Joel. ii. 5. ⲥⲉⲛⲁϣⲓϯ, ἐξαλοῦνται, alius ⲥⲉⲛⲁϭⲓϯ. Mich. vi. 11. ϩⲁⲛϣⲓ et ϩⲁⲛϭⲓ. viii. 1. ⲡϣⲱⲗ et ⲡϭⲱⲗ. Quod si Sphalma sit, tamen probat literas hasce similem habuisse aliquando pronuntiationem.

Sahidice κ Græcorum exprimit. Act. xiii. 21. ϭⲓⲥ, κις. Gal. vi. 6. ⲉⲩϭⲁⲕⲉⲓ, ἐκκάκει. ⲇⲟϭⲓⲙⲁⲍⲉⲓⲛ pro δοκιμάζειν, passim in Fidel. Sap. MS.

ϯ, uti τι, Luc. iii. ϯⲃⲉⲣⲓⲟⲥ, Τιϐέριος. Joh. vi. 1. ϯⲃⲉⲣⲓⲁⲇⲟⲥ, Tiberias. Uti δι, 1 Cor. iv. 7. ϯⲁⲕⲣⲓⲛⲉⲓⲛ, διακρίνειν, ϯⲁⲃⲟⲗⲟⲥ, διάϐολος, passim. Sahidice etiam adhibetur, sæpe tamen in ⲧⲉ resolvitur, e.g. Copticum est ϥⲱϯ ⲉⲃⲟⲗ delere, Sahidice scribitur ϥⲱⲧⲉ ⲉⲃⲟⲗ.

ⲯ, uti ψ Græcorum, in ⲉⲣⲯⲁⲗⲓⲛ, ψάλλειν. Præter ⲯⲓⲥ et ⲯⲓⲧⲉ *novem*, nulla hactenus vox in utraque Dialecto reperta est, quæ a ⲯ incipiat. In Precibus Copticis MSS. si paragraphus a ⲯ incipere debeat, assumitur ejus loco ⲡⲥ, e.g. ⲡⲥⲱⲧⲏⲣ scribitur ⲯⲱⲧⲏⲣ: et vetus Grammaticus (MS. Par. 44. fol. 155) observat scribi ⲡⲥⲟⲗⲥⲉⲗ, et ⲯⲟⲗⲥⲉⲗ.

CAPUT

CAPUT II.

DE PUNCTIS, ET SIGNIS ABBREVIATIONIS ET DISTINCTIONIS.

§. 7. PUNCTUM fupernum, vel linea fuperna, fuperfcribitur tum confonantibus, tum etiam vocalibus.

In Codice MS. Fidelis Sapientiæ Sahidico femper lineola longior, e. g. ⲙ̄ⲙ̄, nunquam vero punctum ponitur. In Actis Apoftolorum Sahidicis Oxonii affervatis plerumque lineola brevior, e. g. ⲙ̄ interdum etiam punctum ponitur. Idem in reliquis Codicibus Sahidicis obtinet. In antiquo Codice 4 Evangeliorum Coptico n. xiii. Bibliothecæ Regiæ Parifienfis, quod Jablonski jam obfervavit, et in Pfalterio Coptico, n. 121. MSS. Huntingthon. Bibliothecæ Bodleianæ per figna, fpiritui afpero vel leni, vel circumflexo, fimilia punctum fupernum exprimitur. In reliquis MSS.Copticis Punctum fuperius reperitur literis impofitum, e.g. ⲙ̇, Hoc punctum fuperius in MS. Græco, quod decimo circiter feculo exaratum eft, accentus Græcos, et fpiritum afperum et lenem exprimit. Vide Palæo graphiam Græcam Montfauconii, p. 235. Sic ⲉⲛ ⲧⲯⲓⲥⲧⲟⲓⲥ, Cod. Alex. T. III. p. 569. col. 2.

§. 8. Si linea hæc, vel punctum hocce, confonanti, præcipue literæ ⲙ̇ et ⲛ̇ imponatur, vicem fuftinet vocalis ⲉ, adeoque pronuntiandum ⲉⲙ et ⲉⲛ: quod tum ex pronuntiatione hodierna Coptitarum, tum etiam inde elicitur, quia promifcue fcribitur ⲙ̇ⲛⲟⲩⲧ, cuftos, Genef. xxxix. 22. et ⲉⲙⲛⲟⲩⲧ, Genef. xxxix. 21: ⲙ̇ⲡϣⲁ et ⲉⲙⲡϣⲁ, dignus, Genef. xxxi. 28: ⲙ̇ϩⲁⲩ et ⲉⲙϩⲁⲩ, fepulchrum, Genef. xxxiv. 10: ⲛ̇ⲕⲟⲧ, Genef. xxxiv. 10. et ⲉⲛⲕⲟⲧ, dormire: ⲙ̇ⲃⲟⲛ et ⲉⲙⲃⲟⲛ, ira, Ezech. xx. 33, 34. &c.

Quod vocalis illa ⲉ, etiam ut obfcurum ⲁ vel ⲟ fuerit pronuntiata, patet ex eo, quod Herodotus vocem Ægyptiacam ⲙ̇ⲥⲁϩ, exprimat per χάμψα, Lib. II. c. 13. et Ælianus ⲛ̇ⲟⲩϥⲓ exprimit per ὄνυφι: et quod Jerem. xi. 21 & 23, Ἀναθώθ fcribatur ⲛ̇ⲁⲑⲱⲑ. "In Dialecto Sahidica "lineola fuperior vel punctum fupernum vocalium vices adhuc frequen"tius fupplet. Per eam fæpiffime ⲉ denotatur, e. g. ⲥⲱⲧⲙ̄ *audire*, in-

 terdum

" terdum etiam ⲥⲱⲧⲉⲙ. ⲃⲣ̄ⲣⲉ *novus*, interdum etiam ⲃⲉⲣⲣⲉ: ⲣ̄ *fa-*
" *cere, esse*, interdum ⲉⲣ: ⲛ̄ϥ, ⲛϥ vel ⲛⲉϥ, et innumera alia.

" Per eam etiam o exprimitur, e. g. ⲁⲛ̄ⲕ et ⲁⲛ̄ⲧ, ⲛ̄ⲧⲕ et ⲛ̄ⲧⲧ,
" quorum loco etiam legitur ⲁⲛⲟⲕ et ⲁⲛⲟⲧ, ⲛ̄ⲧⲟⲕ et ⲛ̄ⲧⲟⲧ. Sic
" ϣⲙ̄ⲙⲛⲧ et ϣⲟⲙⲙⲛⲧ; ϣⲣ̄ⲡ, ϣⲟⲣⲡ et ϣⲉⲣⲡ scribitur.

" ⲁ videtur denotare in ⲛ̄ⲝⲡ̄, cum Dialectus Coptica ejus loco ponat
" ⲛ̄ⲁⲝⲡ, quæ vox numeris horarum solet præfigi; vide Numeralia.
" ⲉ̀ⲟⲩⲛ̄ⲧⲥ, *εχων*, Luc. xv. 8: pro quo est ⲉ̀ⲟⲩⲛ̄ⲧⲁⲥ, 2 Tim. ii. 19.
" Sic ⲟⲩⲛ̄ⲧⲁϥ et ⲟⲩⲛ̄ⲧϥ̄, habetur.

§. 9. Per hoc punctum superius distinguitur ⲙ̀ et ⲛ̀ servile, a ⲙ et ⲛ radicali, et a ⲛ, nota pluralis Numeri ante infixa, e. g. ⲛⲏⲓ sine puncto est, *mibi*; cum puncto autem ⲛ̀ⲏⲓ est domus, vel domum, ab ⲏⲓ domus, cum præfixo servili ⲛ̀. Sic ⲛⲱⲟⲩ sine puncto est *nobis*, et ⲛ̀ⲱⲟⲩ cum puncto est gloria, vel gloriam. ⲛ̀ⲟⲩⲕⲁϩⲓ cum puncto est terra aliqua, a ⲕⲁϩⲓ terra, cum articulo indefinito ⲟⲩ, et ⲛ̀ servili; sed ⲛⲟⲩⲕⲁϩⲓ sine puncto est *terræ eorum*, quod ex ⲛⲓ nota pluralis numeri, et infixo ⲟⲩ 3 perf. plur. ac voce ⲕⲁϩⲓ componitur.

" Sic Sahidice, ⲛⲉⲓ sine lineola, *illi* vel *illa*, vertendum; ⲛ̄ⲉⲓ vero
" cum lineola denotat *venire*, vel *ad veniendum*, et est infinitivus verbi ⲉⲓ,
" *ire, venire*."

§. 10. Punctum supernum, seu linea superna, etiam vocalibus quibusdam superscribitur:

1. Præstat usum accentus acuti Græcorum, adeoque est signum vocem esse attollendam, e. g. ⲉ̀ⲛⲉϩ, éneh, ævum. Jablonski.

2. Notat vocalem, cui superscriptum est, separatim esse pronuntiandam, e. g. Marc. v. 7. ⲁϥⲓ̀, legendum ⲁϥ-ⲓ̀, non ⲁ-ϥⲓ̀. ⲛⲁⲓ̀, *veniet*, Ezech. xx. 31. legendum ⲛⲁ-ⲓ̀, non autem ⲛⲁⲓ, *mei*, quod est pronomen relativum pluralis numeri. Patet id etiam inde, quod vocalibus hæc puncta imponantur in vocibus origine Græcis, e. g. ⲁ̀ⲛⲟⲙⲓⲁ̀, Ez. xi. 21. ubi prius et posterius Alpha habet punctum supernum. Idem etiam fieri observavi in fragmento pretioso MSti Græci, Bibl. Cottonianæ, Titus. C. xv, quod in Musæo Britannico asservatur, ubi Joh. xiv. 6. scribitur ⲏ̀ ⲁ̀ⲗⲏⲑⲓⲁ̀ ⲕⲁⲓ ⲏ̀ ⲍⲱⲏ̀, et Alphà ac ⲏⲑⲁ finale habent punctum supernum. Potuit ergo hoc puncto æque vocis ac Syllabæ initium indicari, quod linguâ jam mortuâ commodum erat, cum voces nullo a se invicem spatio in MSS. distinguantur. Hinc etiam, quo recentiores sunt Codices MSS, eo plura puncta superna in iis cernuntur.

3. Adspira-

3. Aspirationem vocalis notare videtur in ⲁ̀ⲃⲉⲗ, הבל, Gen. iv. 2. Ἄβελ. ⲉ̀ⲛⲟⲕ, חנוך, Gen. v. 15. Ἐνώχ. ⲏ̀ⲥⲁⲩ, עשו, Gen. xxxv. 1. Ἠσαῦ. ⲏ̀ⲣⲱⲇⲏⲥ, Ἡρώδης, Matth. II. 3. licet alias spiritus asper plerumque per ϩ exprimatur, e. g. ϩⲟⲡⲗⲟⲛ, ὅπλον. In MSS. Græco modo citato Joh. xiv. 34. ὑⲙⲓⲛ, ὑⲙⲁⲥ, ὁⲛⲟⲩ, ὑⲡⲁⲧⲱ, ὁⲗⲟⲥ &c. reperiuntur.

" Sahidice rarius linea superior vocalibus adscribitur. In Codice MS. " Askewano Fidelis Sapientiæ conjunctio ⲏ̄ *vel*, et interjectio ⲱ̄ tantum" modo hanc lineam habent. In Actis Apostolicis cæterisque MSS. Sa" hidicis aliæ etiam vocales eâ notantur, e.g. ⲉ̄ϩⲣⲁⲓ, ⲉ̄, ⲉ̄ⲙⲁⲩ, ⲉ̄ⲛⲉϩ, " ⲉ̄ⲃⲟⲗ, ubi eundem ac in Dialectu Coptica usum habere videtur.

§. 11. " In Dialecto Sahidica duo puncta vocali ï interdum imponun" tur. Videntur ea esse aliquando compendium scribendi, quo absentia τῦ ep" silon indicatur: Nam ⲟⲩⲟⲉⲓϣ, et ⲟⲩⲟïϣ tempus; ⲡϫⲟⲉⲓⲥ, Dominus, " et ⲡϫⲟïⲥ; ⲟⲩⲟⲉⲓⲛ, lux, et ⲟⲩⲟïⲛ in MS. Askewano frequenter oc" currit, præcipue in fine lineæ, si spatium deficiat. Sic Matth. xxvi. 41. " ⲡïⲣⲁⲥⲙⲟⲥ, πειρασμὸν; alias ⲡⲉⲓⲣⲁⲥⲙⲟⲥ, Deut. ix. 22. scribitur. " Idem Codex hæc puncta etiam adhibet in vocibus ⲛⲁï, hic; ⲧⲁï, hæc; " ⲛⲁï, illi; ⲡⲁϣⲁï, multitudo; ⲕⲟⲩï, parvus; ⲙⲟⲩï, leo, &c: in " præformantibus verborum ⲁï et ⲉï, e. g. ⲁïⲉⲓ, veni; ⲉïϣⲓⲛⲉ, inter" rogo: in affixione primæ personæ, e. g. ⲉⲣⲟï, ⲙ̄ⲙⲟï, me; ϩⲁⲣⲟï, " ad me; ⲛ̄ⲥⲱï, post me; ⲧⲟⲩϫⲟï, libera me, &c. In quibus voci" bus hæc puncta nihil aliud indicare videntur, quam quod per punctum " supernum in Dialecto Coptica indicatur.

§. 12. Si literæ numerum indicent, vel si voces abbreviatæ sint, solet iis lineola transversa superscribi, e. g. ⲃ̄ *duo*, alias ⲥⲛⲁⲩ; ⲣ̄ *centum*, alias ϣⲉ, &c. Vide *numeralia*.

Et ⲇ̄ⲁ̄ⲇ̄ pro ⲇⲁⲩⲓⲇ.
ⲉ̄ⲑ̄, vel ⲉ̄ⲑ̄ⲩ̄, ⲉⲑⲟⲩⲁⲃ, sanctus.
ⲑ̄ⲥ̄, ⲑ̄ⲩ̄; ⲑⲉⲟⲥ, ⲑⲉⲟⲩ.
ⲓ̄ⲏ̄ⲥ̄, ⲓⲏⲥⲟⲩⲥ. Sahidice ⲓ̄ⲥ̄.
ⲓ̄ⲗ̄ⲏ̄ⲙ̄ pro ⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ. Sahidice ⲑⲓ̄ⲗ̄ⲏ̄ⲙ̄ pro ⲧϩⲓⲉⲣⲟⲩⲥⲁⲗⲏⲙ.
ⲓ̄ⲛ̄ⲥ̄ pro ⲓⲏⲥⲟⲩⲥ ⲛⲁⲍⲁⲣⲉⲟⲥ ⲥⲱⲧⲏⲣ; in Psalmodia MS. p. 4.
ⲓ̄ⲥ̄ⲗ̄ pro ⲓⲥⲣⲁⲏⲗ. Sahidice ⲓ̄ⲏ̄ⲗ̄.
ⲓ̄ⲱ̄ⲁ̄ et ⲓ̄ⲱ̄ⲛ̄ pro ⲓⲱⲁⲛⲛⲏⲥ.
ⲕ̄ⲫ̄ ⲕ̄ⲗ̄, ⲕⲉⲫⲁⲗⲉⲟⲛ.
ⲕ̄ⲉ̄, ⲕ̄ⲛ̄, ⲕ̄ⲥ̄; ⲕⲩⲣⲓⲉ, ⲕⲩⲣⲓⲟⲛ, ⲕⲩⲣⲓⲟⲥ.
ⲙⲉⲧⲭ̄ⲣ̄ⲥ̄, ⲙⲉⲧⲭⲣⲏⲥⲧⲟⲥ.

ⲛ finale in utraque Dialecto per lineolam: sic ⲟ̄ pro ⲟⲛ exprimitur.

ⲟ̃ pro ⲟⲩ. Sahidice ȣ vel (ⲩ) in Actis Apost.

ⲙ̅ⲣ̅, ⲙⲁⲣⲧⲩⲣⲟⲥ. Sahidice ⲙⲩⲥⲧⲏⲣⲓⲟⲛ.

ⲡ̅ⲛ̅ⲁ̅, ⲡⲛⲉⲩⲙⲁ.

ⲥ̅ⲣ̅, ⲥ̅ⲱ̅ⲣ̅ ⲥⲱⲧⲏⲣ.

ⲥ̅ⲧ̅ⲥ̅, ⲥⲧⲁⲩⲣⲟⲥ.

ⲫ̅ϯ̅, ⲫϯ pro ⲫⲛⲟⲩϯ.

ⲭ̅ⲥ̅, ⲭ̅ⲣ̅ⲥ̅; ⲭⲣⲓⲥⲧⲟⲥ. Sic et Sahidice ⲭ̅ⲥ̅.

ⲟ̅ⲥ̅ pro ϭⲓⲟⲥ; ⲉⲣⲟ̅ⲥ̅ pro ⲉⲣϭⲓⲟⲥ, &c.

§. 12. Codex MS. Askewanus in fine paragraphi punctum (.), vel duo puncta (:) adhibet, sed non frequenter: in reliquis MSS. Copticis et Sahidicis quædam signa, ad commota et puncta exprimenda admittuntur, quæ paululum interdum variant, et rubro sæpius atramento scripta sunt, atque e lectione MSS. facillime addiscuntur.

CAPUT III.

DE NOMINIBUS DERIVATIS ET COMPOSITIS.

§. 13. PRIMITIVUM est, vel Nomen ipsum, vel nudus Imperativus seu Infinitivus, e. g. ab ⲟⲩⲣⲟ *rex* derivatur ⲙⲉⲧⲟⲩⲣⲟ *regnum*, et ⲉⲣⲟⲩⲣⲟ *regnare:* a ⲥⲱⲧⲉⲙ *audire*, derivatur ⲡⲓⲥⲱⲧⲉⲙ, *ἀκοή*.

" Sic a Sahidico ⲣ̅ⲣⲟ *rex*, derivatur ⲙⲛ̅ⲧⲣ̅ⲣⲟ *regnum*, et ⲣ̅ⲣ̅ⲣⲟ *reg-*
" *nare:* a ⲥⲱⲧⲙ̅ *audire*, ⲡⲥⲱⲧⲙ̅ *obedientia*. Rom. vi. 16.

§. 14. Derivata formantur, si initio vocis sequentes literæ, vel monosyllaba præponantur:

1. ⲙⲉⲧ, in nominibus abstractis, e. g. ⲙⲉⲧⲣⲁⲙⲁⲟ opulentia, a ⲣⲁⲙⲁⲟ

ⲣⲁⲙⲁⲟ dives: ⲙⲉⲧⲁⲧϣⲟⲃⲓ ſinceritas, ab ⲁⲧⲙⲉⲧϣⲟⲃⲓ, ſincerus, quod ex ⲁⲧ et voce ⲙⲉⲧϣⲟⲃⲓ hypocriſis, componitur; ⲙⲉⲧⲣⲉϥⲉⲣⲙⲉⲩⲓ recordatio, a ⲣⲉϥ et ⲉⲣⲙⲉⲩⲓ recordari. Præponitur ſæpius etiam vocibus peregrinis, e. g. ⲙⲉⲧⲭⲣⲏⲥⲧⲟⲥ bonitas, a Græco χρηστός.

ⲙⲉⲑ etiam ſcribitur, ſi ⲙ, ⲛ, vel ⲣ, ſequatur, e. g. ⲙⲉⲑⲛⲟⲩϫ falſitas, mendacium.

“ Sahidice ⲙⲛ̄ⲧ ponitur, e. g. ⲙⲛ̄ⲧⲣⲙ̄ⲙⲁⲟ divitiæ, a ⲣⲙ̄ⲙⲁⲟ “ dives. ⲙⲛ̄ⲧⲣⲉϥϫⲓϩⲟ proſopolepſia, a ϫⲓϩⲟ accipere faciem; “ ⲙⲛ̄ⲧⲁⲅⲁⲑⲟⲥ bonitas, a Græco ἀγαθός.

2. ⲣⲉϥ, in nominibus concretis, e. g. ⲣⲉϥⲉⲣⲛⲟⲃⲓ peccator, ab ⲉⲣⲛⲟⲃⲓ peccare: ⲣⲉϥⲙⲱⲟⲩⲧ mortuus, a ⲙⲱⲟⲩⲧ mori.

“ Sic Sahidice ⲣⲉϥⲣ̄ⲛⲟⲃⲉ peccator, ab ⲣ̄ⲛⲟⲃⲉ, peccare.

3. ⲥⲁ, in nominibus concretis, et habitus, e. g. ⲥⲁⲙⲉⲑⲛⲟⲩϫ mendax, a ⲙⲉⲑⲛⲟⲩϫ mendacium; ⲥⲁⲙ̀ⲡⲧϩⲱⲟⲩ malus, maleficus, ⲁⲡⲉⲧϩⲱⲟⲩ malus.

“ Sic Sahidice, ⲥⲁⲙ̀ⲙⲛ̄ⲡⲉⲧⲛⲟⲩϫ mendax.

4. ⲁⲧ, in nominibus privativis, e. g. ⲁⲧⲥⲛⲟϥ incruentus, a ⲥⲛⲟϥ ſanguis.

Interdum ⲁⲑ, ante ⲓ et ⲗ, præcipue ante ⲙ, ⲛ, ⲟ, e. g. ⲁⲑⲓⲱⲟⲩⲧ, illotus; ⲁⲑⲗⲱⲓϫⲓ, irreprehenſibilis; ⲁⲑⲙⲱⲟⲩ, ſine aqua; ⲁⲑⲛⲁϩϯ incredulus; ⲁⲑⲟⲩⲱⲙ, non cibatus.

Interdum ⲁⲧϣ, e. g. ⲁⲧϣⲙⲟⲕⲙⲉⲕ, incomprehenſibilis; ⲁⲧϣⲥⲁϫⲓ, ineffabilis; ⲁⲧϣⲧⲁϩⲟ, incomprehenſibilis; ⲁⲧϣϧⲱⲛⲧ, inacceſſus, a verbis ⲙⲟⲕⲙⲉⲕ cogitare, ⲥⲁϫⲓ dicere, ⲧⲁϩⲟ prehendere, ϧⲱⲛⲧ accedere.

“ Sahidice, ⲁⲧ tantum, nunquam ⲁⲑ, reperitur, e. g. ⲁⲧⲙⲟⲩ, immortalis; a ⲙⲟⲩ, mori.

5. ⲙ̀ et ⲛ̀ in formatione adjectivorum, e. g. ⲙ̀ⲃⲉⲛⲓⲡⲓ, ferreus; a ⲃⲉⲛⲓⲡⲓ, ferrum. ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃ, aureus; a ⲛⲟⲩⲃ, aurum.

“ Sic Sahidice, ⲙ̀ⲡⲉⲛⲓⲡⲉ, ferreus; a ⲡⲉⲛⲓⲡⲉ, ferrum. ⲛ̀ϩⲟⲙⲧ, “ æneus; a ϩⲟⲙⲧ, æs. Pro ⲙ et ⲛ̀, etiam ⲉⲙ et ⲉⲛ ponitur. Con- “ fer Jablonſki in Chronologia de Vignoles, p. 736.

6. ⲣⲉⲙ, in Gentilitiis, e. g. ⲣⲉⲙⲛ̀ⲭⲏⲙⲓ, Ægyptius; a ⲭⲏⲙⲓ, Ægyptus.

“ Sahidice, ⲣⲙ̄ ſcribitur, e. g. ⲣⲙ̄ ⲛ̄ⲕⲏⲙⲉ, Ægyptius; a ⲕⲏⲙⲉ, “ Ægyptus.

7. ϣⲟⲩ, in Nominibus intenſivis, e. g. ϣⲟⲩϣⲑⲉⲣⲧⲱⲣ, inſignis perturbator; a ϣⲑⲉⲣⲧⲱⲣ, perturbator. Vide Jablonſkium loco citato.

“ Exemplum Sahidicum nondum occurrit.

8. ϫⲓⲛ,

8. ϫⲓⲛ, in nominibus actionem designantibus, et gerundiis, e.g. ⲡϫⲓⲛϩⲉⲙⲥⲓ, sessio; a ϩⲉⲙⲥⲓ, sedere. Lit. Cyril. §. 90. ⲉⲡϫⲓⲛϭⲱⲗⲕⲟⲩ, ad feriendum eos; a ϭⲱⲗⲕ. Ps. x. 2.

"Sahidice, ϭⲓⲛ adhibetur, e.g. ϭⲓⲛϩⲙⲟⲟⲥ, sessio; a ϩⲙⲟⲟⲥ, se-" dere. In Mysterio Lit. Græc. MS. p. 67. l. m. 10 et 15. legitur etiam "ϫⲓⲛϫⲟⲟⲥ, dictio, pro ϭⲓⲛϫⲟⲟⲥ, nisi sit Sphalma.

§. 14. Derivata etiam formantur, dum voci in fine litera accedit, e.g. ab ϩⲱⲛ, dogma, fit ϩⲱⲛⲧ doctor dogmatum; a ⲭⲁⲣⲟ silere, seu cohibere os, fit ⲭⲁⲣⲱⲛ Charon, quod non trajectorem, sed silentii auctorem notat, vide Thesaurum La Croz. T. III. p. 43. ⲭⲁⲣⲱϥ, silentium; a ⲭⲁⲣⲱ, silere. Amos VIII. 3. ⲥⲟⲣⲙⲉⲥ, error; a ⲥⲱⲣⲉⲙ, errare. ϣⲟⲡⲥ, convivium; a ϣⲟⲡ, recipere.

§. 15. Si a Substantivo masculino formetur Substantivum fœmininum, sæpius solo articulo tantum ab eo differt, e.g.

ⲡⲟⲩⲣⲟ Rex, ϯⲟⲩⲣⲟ Regina.
ⲡⲓⲁⲗⲟⲩ puer, ϯⲁⲗⲟⲩ puella.

"Sic Sahidice,

"ⲡⲛⲟⲩⲧⲉ Deus, ⲧⲛⲟⲩⲧⲉ Dea.
"ⲡϩⲙ̄ϩⲁⲗ servus, ⲧϩⲙ̄ϩⲁⲗ serva.

Interdum vox ϩⲱⲟⲩⲧ, masculus, et ⲥϩⲓⲙⲓ, fæmina, substantivo adjicitur, e.g. ⲟⲩⲙⲁⲑⲏⲧⲏⲥ ⲛ̄ⲥϩⲓⲙⲓ, discipula fæmina. Act. ix. 36. ⲛⲓⲁⲗⲱⲟⲩⲓ ⲛ̄ϩⲱⲟⲩⲧ, et ⲛⲓⲁⲗⲱⲟⲩⲓ ⲛ̄ⲥϩⲓⲙⲓ, παιδάρια καὶ κοράσια. Joel. iii. 3. et Zachar. viii. 5.

"Sic Sahidice, Act. ii. 18. ⲛⲁϩⲙ̄ϩⲁⲗ ⲛ̄ϩⲟⲟⲩⲧ τὰς δούλους μου, et ⲛⲁϩⲙ̄ϩⲁⲗ ⲛ̄ⲥϩⲓⲙⲉ, τὰς δούλας μου, servi mei; masculi, et feminæ.

Interdum vocalis, aut terminatio mutatur, e.g.

ⲡⲓⲃⲱⲕ servus, ϯⲃⲱⲕⲓ serva.
ⲡϣⲏⲣⲓ filius, ϯϣⲉⲣⲓ filia.
ⲡϣⲟⲙ socer, ⲧϣⲱⲙⲓ socrus.
ⲡⲓϧⲉⲗⲗⲟ senex, ⲧϧⲉⲗⲗⲱ anus.
ⲡⲓϧⲉⲗϣⲓⲣⲓ adolescens, ϯϧⲉⲗϣⲁⲓⲣⲓ adolescentula.
ⲡⲓϩⲓⲏⲃ agnus, ϯϩⲓⲉⲃⲓ agna.
ⲡⲥⲟⲛ frater, ⲧⲥⲱⲛⲓ soror, &c.

"Sic et Sahidice,

"ⲡⲣ̄ⲣⲟ Rex, ⲧⲣ̄ⲣⲱ Regina.
"ⲡⲥⲟⲛ frater, ⲧⲥⲱⲛⲉ soror.
"ⲡϣⲏⲣⲉ filius, ⲧϣⲉⲉⲣⲉ filia, &c.

Interdum terminatio Græca retinetur, e.g. Deut. xv. 12. ⲛ̄ϩⲉⲃⲣⲉⲟⲥ ⲓⲉ ϯϩⲉⲃⲣⲉⲁ, Hebræus, vel Hebræa.

§. 16. Nomina

§. 16. Nomina composita e duabus vocibus in unam cöalescunt, e. g. ⲙⲟⲩϩⲱϫ frigidus, contractum est ex ⲙⲱⲟⲩ aqua, et ϩⲱϫ frigidus. ϭⲓⲙⲱⲓⲧ viæ dux, a ⲙⲱⲓⲧ via, et ϭⲓ ducere. ⲛⲉⲃⲏⲓ, οἰκοδεσπότης, ex ⲛⲏⲃ Dominus, et ⲏⲓ domus. ⲛⲉⲃⲓⲟϩⲓ dominus agri, ex ⲛⲏⲃ dominus, et ⲓⲟϩⲓ ager. ϣⲁⲙϣⲉⲓϭ, idolorum cultores, ex ϣⲁⲙϣⲉ *servire*, et ⲓϭ *dæmon*; ϣⲉⲡϩⲙⲟⲧ, gratiarum actio; ϣⲉⲡⲙ̀ⲕⲁϩ, passibilis, ex ϣⲉⲡ accipere, et ϩⲙⲟⲧ gratia, ac ⲙ̀ⲕⲁϩ dolor, &c.

Cum voce ⲙⲁ locus, et ⲙⲁⲓ amare, plurimæ voces coalescunt, et post ⲙⲁ solet ⲙ vel ⲛ, nota Genitivi aut Gerundii, poni; e. g. ⲙⲁⲛ̀ⲁⲣⲉϩ, specula, seu locus vigilis aut custodis, a verbo ⲁⲣⲉϩ, vigilare; ⲙⲁⲛ̀ⲉⲙⲧⲟⲛ diversorium, seu locus quietis, ab ⲉⲙⲧⲟⲛ quies, quiescere. Sic ⲙⲁⲓⲉⲣⲛⲟⲃⲓ, amans peccati; ⲙⲁⲓⲣⲱⲙⲓ, φιλάνθρωπος, &c.

" Eadem etiam in Sahidica Dialecto reperiuntur, e. g. ϫⲁⲓⲃⲉⲕⲉ
" (ϭⲁⲓⲃⲉϫⲉ in dialecto communi) mercenarius, qui accipit mercedem,
" a ϫⲓ accipere, et ⲃⲉⲕⲉ merces. ⲙⲁⲛ̄ϩⲁⲣⲉϩ, specula, a verbo ϩⲁ-
" ⲣⲉϩ, custodire, vigilare. ⲙⲁⲛ̄ϣⲱⲡⲉ habitaculum, a ⲙⲁ locus, et
" verbo ϣⲱⲡⲉ habitare. ⲙⲁⲓⲣⲱⲙⲉ, φιλάνθρωπος, a ⲙⲁⲓ amare, et
" ⲣⲱⲙⲉ homo, etc.

CAPUT IV.

DE ARTICULIS.

§. 17. ARTICULUS est vel determinatus, vel indeterminatus; uterque in utroque numero differt.

§. 18. Articulus determinatus singularis Numeri masculini generis, est ⲡⲓ, vel ⲡ et ⲫ, e. g.

ⲡⲓⲕⲁϩⲓ, Ezech. xvii. 4, 5. et ⲡⲕⲁϩⲓ, terra. Gen. i. 2.
ⲡⲓⲟⲩⲣⲟ, Ezech. xvii. 6. ⲡⲟⲩⲣⲟ. Luc. ii. 1. et ⲫⲟⲩⲣⲟ, rex.
ⲡⲓⲟⲩⲁⲓ ⲡⲓⲟⲩⲁⲓ, et ⲫⲟⲩⲁⲓ ⲫⲟⲩⲁⲓ, quivis. Passim.
ⲡⲓⲟⲩⲱϫⲡ, subversio. Gen. xix. 29. et ⲫⲟⲩⲱϫⲡ. Job. xxvii. 7.
ⲡⲓⲙⲁ et ⲫⲙⲁ, locus. Ezech. xvii. 16. 20.

ⲡ, semper ante infixa singularis numeri, et ante pronomen relativum ⲉⲧ vel ⲉⲑ adhibetur; [Vide infixa et genus adjectivorum.] ⲫ ante literas ⲃ, ⲙ, ⲛ, ⲟ, ⲩ, ⲣ, licet etiam ⲡⲓ et ⲡ admittatur.

" Sahidice

"Sahidice est ⲡⲉ vel ⲡ, nunquam autem ⲫ, e. g. ⲡⲉⲡ︦ⲛ︦ⲁ︦, πνεῦμα;
"ⲡϩⲁⲣⲙⲁ, currus; ⲡⲁⲡⲟⲥⲧⲟⲗⲟⲥ, apostolus.

"Rarius ⲡⲓ reperitur, e. g. ⲡⲓⲡⲉⲥⲧⲁⲓⲟⲩ, nonaginta. Luc. ix. 4. 7.
"ⲡⲓⲕⲟⲥⲙⲟⲥ. Matth. v. 14.

"ⲡ, semper ante infixa Nominum singularis Numeri, et ante prono-
"men relativum ⲉⲧ adhibetur.

§. 19. Articulus determinatus Sngularis fæmini generis est ⲧ, ⲑ, vel ϯ, e.g. ⲧ, in ⲧⲁⲣⲭⲏ, initium. Marc.vi.10. ⲧⲏⲡⲓ, numerus. Ez. iv. 4. ⲧⲭⲱⲣⲁ, regio. Marc. v. 6. ⲧⲕⲟⲓ, ager. Luc. viii. 34. ⲧϫⲓϫ, manus. Act. xi. 21. et ante infixa fæmininorum singularium. ⲑ, in ⲑⲃⲁⲕⲓ, civitas. Ez. xxv. 5. ⲑⲃⲁⲃⲩⲗⲱⲛ, Babylon. Ez. xvii. 12. 16. ⲑⲙⲁⲩ, mater. Marc. xiv. 40. ⲑⲙⲏϯ, medium. Passim. ⲑⲟⲩⲓⲛⲁⲙ, dextra. Ezech. x. 3. ϯ, in ϯⲃⲁⲕⲓ. Ez. ix. 5. Jon. iv. 5. ϯⲙⲁϩ, ⲉ̅ ⲛ̀ⲣⲟⲙⲡⲓ. Ez. i. 2. quinto anno. ϯⲓⲟⲩⲇⲉⲁ, Judæa. Marc. x. 1. ϯⲏⲡⲓ, numerus. Passim.

"Sahidice est ⲧⲉ vel ⲧ, nunquam ⲑ: e. g. ⲧⲉⲅⲣⲁⲫⲏ, scriptura.
"Act. i. 16. ⲧⲉⲥⲃⲱ, doctrina. Act. ii. 42. a ⲥⲃⲱ, ⲧⲡⲉ cœlum. Luc.
"xv. 21. ⲧ, ante infixa fæmininorum singularium et ante vocales sem-
"per, sæpe etiam ante consonantes admittitur, e.g. ⲧⲉϥϭⲓϫ manus ejus.
"Act. vii. 25. ⲧⲣ̄ⲣⲟ regina. Act. viii. 27. ⲧⲁⲡⲉ caput. Myst. L. G. MS.

§. 20. Articulus determinatus pluralis numeri utriusque generis est ⲛⲓ, et in nominibus quibusdam ⲛⲉⲛ etiam admittitur.

ⲛⲓ, e.g. ⲛⲓϥⲟⲓ, rivi. Ps. i. 3. ⲛⲓⲥⲁϧ, scribæ. Marc. xi. 27. ⲛⲓⲁⲇⲓⲕⲓⲁ, injustitiæ. Exech. iv. 5. ⲛⲓⲉⲑⲛⲟⲥ. ibid. 13.

Ante infixa, et relativum ⲉⲧ et ⲉⲑ, Jota ex hoc ⲛⲓ eliditur, e. g. ⲛ̀ⲛⲟⲩϩⲃⲱⲥ, vestes suas. Marc. xi. 8. positum, pro ⲛ̀ⲛⲓⲟⲩϩⲃⲱⲥ, a ϩⲃⲱⲥ vestis. ⲛ̀ⲛⲟⲩⲃⲁⲗ, oculos eorum. Marc. xvi. 4. est pro ⲛ̀ⲛⲓⲟⲩⲃⲁⲗ, a voce ⲃⲁⲗ oculus.

ⲛⲉⲛ, e. g. ⲛⲉⲛⲃⲁⲗ, oculi. Gen. iii. 7. ⲛⲉⲛϣⲏⲣⲓ ⲓ︦ⲥ︦ⲗ︦, filii Israelis. Passim. ⲛⲉⲛⲥⲫⲟⲧⲟⲩ, labia. Deut. iv. 48. ⲛⲉⲛϧⲉⲗⲗⲟⲓ, seniores. Numer. xi. 16. ⲛⲉⲛϫⲓϫ, manus. Jer. xii. 7. ⲛⲉⲛϭⲁⲗⲁⲩϫ, pedes. Actor. iv. 36.

Hoc ⲛⲉⲛ significatione differt a ⲛⲉⲛ *nostri*, quod est infixum primæ personæ pluralis, e. g. ⲛⲉⲛⲃⲁⲗ, oculi nostri. Ps. cxxii. 2. Vide infixa.

"Sahidice est plerumque ⲛⲉ aliquando ⲛⲉⲩ, aliquando etiam, sed
"rarius, uti in Dialecto Communi ⲛⲓ, aliquando tandem ⲛ̄ⲛ̀ vel ⲛⲉⲛ
"vel ⲙ̄ⲙ̀, si ⲙ, vel ⲡ sequatur.

"ⲛⲉ, e. g. ⲛⲉⲟⲩⲟⲉⲓϣ, tempora. Act. i. 7. ⲉ finale ante infixa et ante
"relativum ⲉⲧ semper eliditur, e. g. ⲛⲁⲃⲁⲗ, oculi mei. Ps. xxiv. 15.
"pro ⲛⲉⲁⲃⲁⲗ, vide infixa. ⲛⲉⲧⲟⲩⲁⲁⲃ, sancti, pro ⲛⲉⲉⲧⲟⲩⲁⲁⲃ.

"ⲛⲉⲩ,

"ⲛⲉⲩ, e. g. ⲙⲛ̄ ⲛⲉⲩⲥⲏϥⲉ ⲙⲛ̄ ⲛⲉⲩϭⲉⲣⲟⲟⲃ, μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύ-
"λων. Matth. xxvi. 47. Marc. xiv. 43. Pf. cvi. 3. ϩⲛ̄ ⲛⲉⲩⲭⲱⲣⲁ,
"ἐκ τῶν χωρῶν. Sah. *in regionibus.* 12. ϩⲛ ⲛⲉⲩϩⲓⲥⲉ, ἐν κόποις. Fidel. Sap.
"MS. p.21.6. ⲛⲉⲩⲧⲟⲡⲟⲥ loci, ⲛⲉⲩⲁⲓⲱⲛ Aiones, ⲛⲉⲩⲧⲁⲝⲓⲥ ordines;
"et alibi. In quibus locis ⲛⲉⲩ non poteſt eſſe infixum 3 pl. *eorum.*

"ⲛⲓ, e. g. ⲛⲓϣⲁϫⲉ, Luc. ix. 28. ſermones. ⲛⲓⲕⲟⲩⲓ, Pſ. cxviii. 130.
"parvi.

"ⲛ̄ ⲛ̄ vel ⲛⲉⲛ, e.g. ⲛ̄ⲑⲉ ⲛ̄ⲛ̄ⲃⲁⲗ, ſicut oculi. Pſ. cxxii. 2. ⲛⲉⲛⲃⲁ-
"ⲥⲁⲛⲓⲥⲧⲏⲥ, βασανισταῖς. Matth. xviii. 35.

"ⲙ̄ⲙ̄, ſi ⲡ ſequatur, e. g. ⲧⲙ̄ⲙⲛ̄ⲧⲉⲣⲟ ⲙ̄ⲙ̄ⲡⲏⲩⲉ, regnum cœ-
"lorum. Matth. v. 20. ⲡⲉϫⲁϥ ⲙ̄ⲙ̄ⲙⲏⲏϣⲉ, dixit multitudinibus.
"Simili modo præpoſitiones ϩⲓϫⲛ̄ ſuper, et ϩⲓⲧⲛ̄ per, in ϩⲓϫⲙ̄ et
"ϩⲓⲧⲙ̄ mutantur ſi ⲡ ſequatur.

§. 21. Articulus indeterminatus Singularis numeri in utroque genere eſt ⲟⲩ, e. g. ⲟⲩⲥϩⲓⲙⲓ mulier, Marc. x. 6. ⲟⲩⲣⲱⲙⲓ homo, Marc. xii. 1. Sic etiam ante adjectivum ϯⲥⲁⲣⲝ ⲇⲉ ⲟⲩⲁⲥⲑⲉⲛⲏⲥ, caro vero infirma.

Interdum articulus indeterminatus cum nomine cöaleſcit. Ab antiquo (et inuſitato) ⲣⲟ rex, fit ⲟⲩⲣⲟ, et hinc cum articulo ⲡⲟⲩⲣⲟ et ⲟⲩⲟⲩⲣⲟ rex, Act. xxii. 21. A ϣⲉⲃⲓⲱ fit ⲟⲩϣⲉⲃⲓⲱ, et cum articulo determinato fit ⲧⲟⲩϣⲉⲃⲓⲱ retributio, Pſ. xvii. 20.

"Sahidice quoque eſt ⲟⲩ, e. g. ⲟⲩⲣⲱⲙⲉ, homo. Paſſim. ⲟⲩⲥϩⲓ-
"ⲙⲉ, mulier. Joh. iv. 7.

"Si hunc articulum ⲟⲩ præcedat immediate præformans verborum ⲁ,
"quod pro præformante ⲁϥ, ⲁⲥ vel ⲁⲩ ponitur, tunc ⲁ et ⲟⲩ con-
"trahi poſſunt in ⲁⲩ, e.g. ⲁⲩⲉϩⲉ ⲥⲟⲩⲛ pro ⲁⲟⲩⲉϩⲉ ⲥⲟⲩⲛ. Act. xvi.
"9. ⲁⲩϩⲟⲣⲁⲙⲁ (pro ⲁ ⲟⲩϩⲟⲣⲁⲙⲁ) ϭⲱⲗⲡ ⲙ̄ⲡⲁⲩⲗⲟⲥ, viſio
"revelata eſt Paulo. Act. v. 5. ⲁⲩⲛⲟϭ ⲛ̄ϩⲟⲧⲉ ϩⲉ (pro ⲁ ⲟⲩⲛⲟϭ)
"magnus timor cecidit. Etiam ſine contractione reperitur ⲁ ⲟⲩϣⲃⲏⲣ
"ⲉⲓ, venit amicus. Luc. xi. 6. ⲁ ⲟⲩⲥϩⲓⲙⲓ ⲉⲓ ⲉⲃⲟⲗ, egreſſa eſt mu-
"lier. Joh. iv. 7. quod ſemper locum habet in Dialecto Communi.

§. 22. Articulus indeterminatus pluralis numeri utriuſque generis eſt ϩⲁⲛ, e. g. ϩⲁⲛⲥⲛⲏⲟⲩ, fratres. Marc. x. 30. ϩⲁⲛⲟⲩⲟⲛ, aliqui. Marc. xi. 5. ϩⲁⲛϩⲓⲟⲙⲓ, mulieres. Num. xxxvi. 3.

"Sahidice eſt ϩⲉⲛ vel ϩⲛ̄, e. g. ϩⲉⲛⲗⲁⲥ, linguæ. Act. ii. 3.
"ϩⲛ̄ⲣⲱⲙⲉ, homines. Paſſim.

C CAP.

CAPUT V.

DE GENERE NOMINUM.

§. 23. PLuralia nullam admittunt differentiam generis. In singulari autem genus est vel masculinum, vel fæmininum. Neutrum genus Ægyptii non habent, sed per fæmininum plerumque, aliquando etiam per masculinum exprimunt, e. g. ⲁⲩϫⲟⲥ ⲙ̀ⲙⲟⲥ, dixerunt eam, scilicet rem, h. e. id. Mar. x. 5. ⲛⲁⲛⲉⲥ ⲛⲁⲥ ⲡⲉ, *bona* ei est, i. e. *bonum* ei est. Marc. xiv. 21. ⲁⲛⲟⲛ ⲁⲛⲭⲁ ⲡⲧⲏⲣϥ ⲛ̀ⲥⲱⲛ, nos reliquimus *omnem* post nos, i. e. omne, ⲡⲧⲏⲣϥ est masculinum. Marc. xiv. 21. ⲡⲉⲧⲟⲩⲉⲧⲱⲧ, τὸ χλωρὸν, viride, proprie *viridis* in masculino genere.

" Sic et Sahidice, Marc. ix. 5. ⲉϥϫⲱ ⲙ̀ⲙⲟⲥ, dicens *illam*, h. e. " illud. Ibid. ⲛⲁⲛⲟⲩⲥ ⲛⲁⲛ, bona nobis, i. e. bonum (est) nobis. Gr. " καλὸν ἐστιν. Matth. xxvi. 56. ⲡⲁⲓ ⲧⲏⲣϥ, hic omnis, i. e. hoc omne, " τοῦτο ὅλον.

§. 24. Quædam nomina sunt generis communis, e. g. ⲡⲉⲣⲱϯ lac, habet articulum masculinum, Ps. cxviii. 20. Ps. cxxx. 12. et alibi. Sed in fæminino occurrit ⲧⲉⲣⲱϯ. Exod. xxiii. 19. Deut. xiv. 21. ⲡⲟⲙⲓ, lutum. Ps. xvii. 42. xxxix. 2. ⲧⲁⲓⲟⲙⲓ. Ps. lxviii. 14. ⲡⲙⲁⲛϩⲉⲙⲥⲓ, sessio. Lit. Basil. et ϯⲙⲁⲛϩⲉⲙⲥⲓ. Ps. cxxxviii. 2. Plura exempla utriusque Dialecti, vide superius, §. 15.

§. 25. Substantivorum genus e praxi potius quam e regulis addiscendum est, et dignoscitur;

1. Vel ex significatione, e. g.

ϩⲁⲓ maritus,	ⲥϩⲓⲙⲓ mulier.
ⲓⲱⲧ pater,	ⲙⲁⲩ mater.
ϣⲏⲣⲓ filius,	ϣⲉⲣⲓ filia.

2. Vel ex articulo præcedente,

ⲡⲓⲕⲁϩⲓ terra,	ⲧϣⲱϯ puteus.

3. Vel e pronomine, adjectivo, participio, aut verbo masculini vel fæminini generis apposito, e. g. ⲟⲩⲧⲁϩ ⲉⲣⲉⲡⲉϥϫⲣⲟϫ ⲛ̀ϧⲏⲧϥ, fructus, cujus semen est in illo. Gen. i. 11. Infixum ⲉϥ masculinum genus indicat.

cat. Gen. ii. 21. ⲛ̀ⲟⲩϭⲏⲧ ⲟⲩⲟϩ ⲡⲉⲥⲙⲁ, coſtam, et locum illius. Infixum ϵc indicat fœmininum. ⲟⲩⲕⲁϩⲓ ⲧⲏⲣϥ, terra tota. Paſſim: Adjectivum maſculinum ⲧⲏⲣϥ probat, ⲕⲁϩⲓ eſſe maſculinum.

ⲫⲓⲥⲱⲛ ⲫⲏⲉⲧⲕⲱϯ, Piſon circumdans. Geneſ. ii. 11. ⲟⲩⲥⲁⲅⲏⲛⲏ ⲉⲧⲁⲥⲙⲟϩ, ſagena impleta. Matth. xiii. 48. ⲙⲁⲣⲉϥϣⲱⲡⲓ ⲟⲩⲧⲁϫⲣⲟ. Gen. i. 6. fiat firmamentum, ⲙⲁⲣⲉϥ eſt præformans maſc. ⲛ̀ⲟⲩⲥⲁⲅⲏⲛⲏ ⲟⲩⲟϩ ⲁⲥⲑⲱⲟⲩϯ. Marc. xiii. 47. ⲁⲥ eſt 3 p. fœm.

" Sahidice genus eodem modo agnoſcitur.

§. 26. Adjectivorum et participiorum genus non ex terminatione dignoſcitur, quæ in utroque genere eſt eadem; ſed indicatur:

Vel per articulum, e. g.

ⲡⲓⲛⲓϣϯ magnus,	ϯⲛⲓϣϯ magna.
" Sahidice ⲡⲛⲟϭ magnus,	ⲧⲛⲟϭ magna.

Vel per præformantia, e. g.

ⲉϥⲟϣ multus,	ⲉⲥⲟϣ multa.
" Sahidice ⲉϥϩⲟⲟⲩ malus,	ⲉⲥϩⲟⲟⲩ mala.

Vel per Pronomina, e. g.

ⲡⲉⲧⲟϣ et ⲫⲏⲉⲧⲟϣ multus,	ⲑⲏⲉⲧⲟϣ multa.
" Sahidice ⲡⲉⲧϩⲟⲟⲩ malus,	ⲧⲁⲓⲉⲧϩⲟⲟⲩ mala.

Vel per Affixa; ⲧⲏⲣϥ omnis, totus, ⲧⲏⲣⲥ tota.

ⲛⲁϣⲱϥ multus,	ⲛⲁϣⲱⲥ multa.
" Sahidice ⲧⲏⲣϥ m.	ⲧⲏⲣⲥ f.
" ⲛⲁⲛⲟⲩϥ bonus,	ⲛⲁⲛⲟⲩⲥ bona.

CAPUT VI.

DE PLURALIBUS.

§. 27. SINGULARIS et Pluralis Numerus a ſe invicem ſæpius terminatione non differunt, ſed tantum per articulos diſtinguuntur, e. g. ⲡⲓⲛⲟⲃⲓ et ⲟⲩⲛⲟⲃⲓ peccatum, in plurali ⲛⲓⲛⲟⲃⲓ et ϩⲁⲛⲛⲟⲃⲓ peccata.

" Sic Sahidice ⲡⲉⲛⲟⲃⲉ vel ⲟⲩⲛⲟⲃⲉ peccatum, ⲛⲉⲛⲟⲃⲉ vel ϩⲛ̄ⲛⲟⲃⲉ " peccata.

§. 27. Si nomina articulum ſingularis vel pluralis numeri non habeant, et cum ſolo ⲙ vel ⲛ, caſus nota, vel etiam nude ponantur; tum numerus e ſola conſtructione dignoſcendus eſt, e. g. Ezech. iii. 12. ⲧⲥⲙⲏ ⲛ̀ⲟⲩⲛⲓϣϯ ⲙ̀ⲙⲟⲛⲙⲉⲛ, vox magni motus. Subſtantivum ⲙ̀ⲙⲟⲛⲙⲉⲛ eſſe ſingulare, agnoſcitur ex adjectivo ſingulari, quod articulo ſingul. ⲟⲩ junctum eſt. Act. i. 8. ⲧⲉⲧⲉⲛⲛⲁϣⲱⲡⲓ ⲙ̀ⲙⲉⲑⲣⲉ, eritis teſtes. Deut. iv. 32. ⲁ ⲫϯ ⲥⲉⲛⲧ ⲣⲱⲙⲓ, Deus creavit hominem. Ezech. xix. 3. ⲁϥⲟⲩⲉⲙ ⲣⲱⲙⲓ, ἀνθρώπους ἔφαγε, homines comedit.

"Sic Sahidice, ϫⲉ ⲁⲩϫⲡⲉ ⲙⲓϣⲉ, quia pugnas generant. 2 Tim. ii. "23. ⲟⲩⲕⲟⲩⲓ ⲙ̀ⲙⲉⲗⲟⲥ ⲡⲉ, parvum eſt membrum. Jac. iii. 5. ϫⲉ "ⲁⲛⲟⲛ ⲙ̀ⲙⲉⲗⲟⲥ, quia nos membra. Epheſ. iv. 25. ⲙⲛ̄ϯ ⲣⲱⲙⲉ "ⲙ̀ⲙⲁⲩ, non habeo hominem. Joh. v. 7. ⲛⲓⲙ ⲛ̄ⲣⲱⲙⲉ, quis homo? "Luc. xv. 4. 1 Petr. i. 21. ϩⲛ ⲟⲩⲱϣ ⲛ̄ⲣⲱⲙⲉ ⲁⲛ ⲁⲗⲗⲁ ⲛ̄ⲧⲁⲩ"ϣⲁϫⲓ ⲛ̄ϭⲓ ⲛ̄ⲣⲱⲙⲉ ⲉⲧⲟⲩⲁⲁⲃ, in voluntate *hominis*, ſed locuti ſunt "*homines* ſancti.

§. 28. Quædam tamen nomina in plurali terminationem ſingularis mutant, quorum præcipua ordine Alphabetico hic recenſebimus.

ⲁⲃⲟⲧ menſis, pl. ⲛⲓⲁⲃⲏⲧ.
ⲁⲛⲁϣ jusjurandum, pl. ⲛⲓⲁⲛⲁⲩϣ.
ⲁⲗⲟⲩ puer, pl. ⲛⲓⲁⲗⲱⲟⲩⲓ.
ⲁⲧⲭⲁⲣⲱ vox aſſidua, pl. ⲁⲧⲭⲁⲣⲱⲟⲩ.
ⲁⲧϣϧⲉⲧϧⲟⲧϥ incomprehenſibilis, pl. ⲁⲧϣϧⲉⲧϧⲟⲧⲟⲩ.
ⲁⲫⲱⲫ gigas, pl. ⲛⲓⲁⲫⲱⲫⲓ.
ⲁⲫⲉ caput, pl. ⲛⲓⲁⲫⲏⲟⲩⲓ.
ⲁⲭⲱ magus, pl. ⲛⲓⲁⲭⲱⲟⲩⲓ.
ⲁⲩⲗⲏ aula, pl. ⲛⲓⲁⲩⲗⲏⲟⲩ.
ⲁⲩⲣⲏϫ terminus, pl. ⲁⲩⲣⲏϫⲟⲩ.
ⲁϥ caro, pl. ⲛⲓⲁϥ et ⲛⲓⲁϥⲟⲩⲓ.
ⲁϩⲟ theſaurus, pl. ⲁϩⲱⲣ.
ⲃⲉⲗⲗⲉ cæcus, pl. ⲛⲓⲃⲉⲗⲗⲉⲩ.
ⲃⲉⲭⲉ merces, pl. ⲛⲓⲃⲉⲭⲏⲟⲩⲓ. Mich. i. 7.
ⲃⲱⲕ ſervus, et ⲃⲱⲕⲓ ſerva, pl. ⲛⲓⲉⲃⲓⲁⲓⲕ.
ⲉⲃⲟ mutus, pl. ⲛⲓⲉⲃⲱⲟⲩ.
ⲉⲣⲙⲏ lacryma, pl. ⲛⲓⲉⲣⲙⲱⲟⲩⲓ.
ⲉⲛⲁϣⲱ multus, pl. ⲉⲛⲁϣⲱⲟⲩ.
ⲉⲑⲱϣ Æthiops, pl. ⲉⲑⲁⲩϣ.
ⲉⲛⲉⲥⲉ pulcher, pl. ⲉⲛⲉⲥⲱⲟⲩ.
ⲉⲣⲫⲉⲓ templum, pl. ⲛⲓⲉⲣⲫⲏⲟⲩⲓ.

ⲉⲧⲫⲱ

ⲉⲧⲫⲱ onus, pl. ⲉⲧⲫⲱⲟⲩⲓ.
ⲉⲱ asinus, pl. ϩⲁⲛⲉϩⲉ et ϩⲁⲛⲉⲉⲩ.
ⲉϣⲱ sus, pl. ⲉϣⲁⲩ.
ⲉϣⲱⲧ mercator, pl. ⲛⲓⲉϣⲟϯ.
ⲉϩⲉ bos, pl. ⲛⲓⲉϩⲱⲟⲩ et ⲛⲓⲉϩⲏⲟⲩ.
ⲏⲓ domus, pl. ⲛⲓⲏⲓ et ⲛⲏⲟⲩ.
ⲓⲟⲙ mare, pl. ⲛⲓⲁⲙⲙⲁⲓⲟⲩ.
ⲓⲱⲧ pater, pl. ⲛⲓⲟϯ.
ⲓⲁⲣⲟ fluvius, pl. ⲛⲓⲁⲣⲱⲟⲩ.
ⲙⲁ locus, pl. ⲛⲓⲙⲁⲓ. Sic La Croze in Lex: repetitur et ⲛⲓⲙⲁ.
ⲙⲁⲩⲁⲧϥ solus, pl. ⲙⲁⲩⲁⲧⲟⲩ soli.
ⲙⲉⲑⲣⲉ testis, pl. ⲛⲓⲙⲉⲑⲣⲉⲩ.
ⲙⲉⲑⲟⲩⲣⲟ regnum, pl. ⲙⲉⲑⲟⲩⲣⲱⲟⲩ.
ⲙⲉⲛⲣⲓⲧ dilectus, pl. ⲛⲓⲙⲉⲛⲣⲁϯ. Sic La Croze.
ⲙⲉⲣⲓ meridies, pl. ϩⲁⲛⲙⲉⲣⲓ.
ⲙⲉⲧⲙⲉⲑⲣⲉ testimonium, pl. ⲛⲓⲙⲉⲧⲙⲉⲑⲣⲉⲩ.
ⲙⲉϣϣⲱⲧ ager, pl. ⲛⲓⲙⲉϣϣⲟϯ. Joel. ii. 22.
ⲙ̀ⲕⲁϩ dolor, pl. ⲙ̀ⲕⲁⲩϩ.
ⲙⲛⲟⲧ uber, pl. ⲛⲓⲙⲛⲟϯ.
ⲙⲱⲓⲧ via, pl. ⲛⲓⲙⲓⲧⲱⲟⲩⲓ et ⲛⲓⲙⲱⲓⲧ.
ⲛⲁⲛⲉ bonus, pl. ⲛⲁⲛⲉⲩ.
ⲛⲁϣⲉ multus, pl. ⲛⲁϣⲱⲟⲩ.
ⲟⲩⲉⲭⲣⲟ postis, pl. ⲛⲓⲉⲭⲣⲱⲟⲩ. Deut. vi. 9.
ⲟⲩⲛⲟⲩ hora, pl. ⲛⲓⲟⲩⲛⲱⲟⲩⲓ.
ⲟⲩⲣⲟ rex, pl. ⲛⲓⲟⲩⲣⲱⲟⲩ.
ⲡⲉⲑⲛⲁⲛⲉ bonus, pl. ⲛⲓⲡⲉⲑⲛⲁⲛⲟⲩⲟⲩ, et ⲛⲓⲡⲉⲑⲛⲁⲛⲉⲩ. Mic. iii. 2.
ⲣⲁⲙⲁⲟ dives, pl. ⲛⲓⲣⲁⲙⲁⲟⲓ, et ⲛⲓⲣⲁⲙⲁⲱⲟⲩⲓ.
ⲣⲁⲧ pes, pl. ⲣⲁⲧⲟⲩ.
ⲣⲉⲙⲏⲧ decima, pl. ⲛⲓⲣⲉⲙⲏⲧ et ⲛⲓⲣⲉⲙⲁϯ.
ⲣⲉⲙϩⲉ liber, pl. ⲛⲓⲣⲉⲙϩⲉⲩ.
ⲣⲉϥϫⲱ cantor, pl. ⲣⲉϥϫⲱⲟⲩⲓ.
ⲣⲟ janua, pl. ⲛⲓⲣⲱⲟⲩ.
ⲣⲟⲩϩⲓ vesper, pl. ϩⲁⲛⲣⲟⲩϩⲓ.
ⲥⲁϧ scriba, pl. ⲛⲓⲥⲁϧ et ⲛⲓⲥϧⲟⲩⲓ.
ⲥⲁⲃⲉ sapiens, pl. ⲛⲓⲥⲁⲃⲉⲩ m. ⲛⲓⲥⲁⲃⲏ f.
ⲥⲃⲱ doctrina, pl. ⲛⲓⲥⲃⲱⲟⲩⲓ.
ⲥⲁⲓⲉ pulcher, pl. ⲥⲁⲓⲱⲟⲩ.

ⲥⲟⲃⲧ

ⲥⲟⲃⲧ murus, pl. ⲛⲓⲥⲉⲃⲑⲁⲓⲟⲩ.
ⲥⲟⲛ frater, pl. ⲛⲓⲥⲛⲏⲟⲩ.
ⲥⲟⲛⲓ latro, pl. ⲛⲓⲥⲟⲛⲓ, ⲛⲓⲥⲱⲛⲓ et ⲛⲓⲥⲓⲛⲱⲟⲩⲓ.
ⲥⲫⲓⲣ latus, pl. ⲛⲓⲥⲫⲓⲣⲱⲟⲩⲓ.
ⲥϩⲓⲙⲓ mulier, pl. ⲛⲓϩⲓⲟⲙⲓ.
ⲧⲉⲃⲛⲏ bestia, pl. ⲛⲓⲧⲉⲃⲛⲱⲟⲩⲓ.
ⲧⲏⲣϥ omnis, pl. ⲧⲏⲣⲟⲩ.
ⲧⲟⲧ manus, pl. ⲛⲓⲧⲟⲧⲟⲩ.
ⲧⲟⲟⲩⲓ mane, pl. ϩⲁⲛⲁⲧⲟⲟⲩⲓ.
ⲫⲉ cœlum, pl. ⲛⲓⲫⲏⲟⲩⲓ.
ϣⲁϥⲉ desertum, pl. ⲛⲓϣⲁϥⲉⲩ. Malach. i. 4.
ϣⲃⲱⲧ virga, pl. ⲛⲓϣⲃⲟϯ.
ϣⲉⲙⲙⲟ peregrinus, pl. ⲛⲓϣⲉⲙⲙⲱⲟⲩ.
ϣⲛⲉ rete, pl. ⲛⲓϣⲛⲏⲟⲩ.
ϣⲟⲙ gener, pl. ϩⲁⲛϣⲟⲙ et ϩⲁⲛϣⲙⲱⲟⲩ.
ϣϫⲉ locusta, pl. ⲛⲓϣϫⲉⲩ et ⲛⲓϣϫⲏⲟⲩ.
ϧⲣⲉ cibus, pl. ⲛⲓϧⲣⲏⲟⲩⲓ.
ϧⲁⲉ ultimus, pl. ϩⲁⲛϧⲁⲉⲩ.
ϩⲁⲓ maritus, pl. ⲛⲓϩⲱⲟⲩⲓ et ⲛⲓϩⲁⲓ.
ϩⲑⲟ equus, pl. ⲛⲓϩⲑⲱⲣ.
ϩⲟ malum, pl. ⲉⲩϩⲱⲟⲩ.
ϩⲟⲩⲓⲧ primus, pl. ϩⲟⲩⲁϯ.
ϩⲱⲃ opus, pl. ⲛⲓϩⲃⲏⲟⲩⲓ.
ϩⲱϯ tributum, pl. ⲛⲓϩⲟϯ. Luc. xxiii. 2.
ϫⲁⲗⲏ mollis, pl. ⲛⲓϫⲁⲗⲉⲩ humilia.
ϫⲁⲙⲟⲩⲗ camelus, pl. ⲛⲓϫⲁⲙⲁⲟⲩⲗⲓ.
ϫⲁϭⲏ læva, pl. ⲛⲓϫⲁϭⲉⲩ debiles.
ϫⲟⲓ navis, pl. ⲛⲓⲉϫⲏⲟⲩ.
ϭⲁⲗⲟϫ pes, pl. ⲛⲓϭⲁⲗⲁⲩϫ.
ϭⲁⲗⲉ claudus, pl. ⲛⲓϭⲁⲗⲉⲩ.
ϭⲁϫⲏ mancus, pl. ⲛⲓϭⲁϫⲉⲩ.
ϭ̅ⲥ̅ Dominus, pl. ⲛⲓϭ̅ⲥ̅ et ⲛⲓϭⲓⲥⲉⲩ.

Ex hisce exemplis liquet, pluralia terminari in ⲁⲩ, ⲉⲩ, ⲓ, ϯ, ⲟⲩⲓ, ⲱⲟⲩⲓ, ⲏⲟⲩⲓ, ⲟⲩ, ⲏⲟⲩ, ⲱⲟⲩ &c. Ex adjectivis autem patet, illud ⲟⲩ nihil esse aliud nisi affixum plurale 3 personæ, e. g. ⲧⲏⲣϥ, ⲧⲏⲣⲥ, ⲧⲏⲣⲉⲛ, ⲧⲏⲣⲧⲉⲛ, ⲧⲏⲣⲟⲩ, omnis ille, omnis illa, omnes nos, omnes vos, omnes illi.

§. 28. " In

